Theol. rec. III
Oct. 687

SN 13

T. H. VAN DEN HONERT,
S. S. Theol. Doct. ejusdemque Facultatis; ut & Antiquitatum Hebraicarum Professoris Ordinarii,

DISSERTATIONES HISTORICÆ

I.

DE CREATIONE MUNDI;

II.

DE SITU EDENIS, ET HORTI,

Quem DEUS ipse ea in Regione plantavit;

III.

DE LINGUA PRIMÆVA,

EJUSQUE

PROPAGATIONE,

atque inde natis VARIIS ac MULTIPLICIBUS

DIALECTIS:

Secundum

NARRATIONEM MOSIS

Genes. Capp. I^mo, II^do, X^mo, & XI^mo.

Addita est

DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE NECESSARIA, *ad recte interpretandum* SCRIPTURAM SACRAM, ANTIQUITATUM HEBRAICARUM COGNITIONE.

EDITIO ALTERA, AUCTIOR, ET EMENDATIOR.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM KALLEWIER, 1739.

Ex
Bibliotheca
Reg. Univers.
Vratisl.

Ex
Bibliotheca
Regia Universitatis
Vratisl.



926128

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

TACO HAJO VAN DEN HONERT.



EN primum Fasciculum illarum DISSERTATIONUM mearum ACADEMICARUM,

RUM, quas conſcribere ab illo cœpi tempore, quo Illuſtriſſimi hujus Univerſitatis Curatores, atque Eorum Collegæ, Ampliſſimi Urbis Leidenſis Conſules mihi, præter THEOLOGIAM, hanc quoque ANTIQUITATES HEBRAICAS docendi demandarunt provinciam: ut mihi in earum Antiquitatum prælectionibus publicis eſſent uſui.

Addidi huic Faſciculo *Geographicam Tabellam*, quæ *antiquiſſimi Orbis*

bis Terrarum, *Antediluviani*; & *Poſtdiluviani*, ſecundum meam ſententiam delineatum, exhibet conſpectum.

Hæ ſi placeant, atque DEUS ex uberrimo ſalutaris gratiæ ſuæ vires ſuffecturus ſit fonte, plures dabo, quæ ad illuſtrandum *antiquiſſimas* in primis *Genealogiarum Biblicarum*; ut & *Chronologiæ*; ac *Geographiæ Veteris* facient *Tabulas*. Animus enim eſt, *Diſſertationes*, quas confectas habeo, in juſtum redigere ordinem; ac publicæ, quamdiu divina id permittet

Providentia, exponere luci. Tu interim B. L. his utere ad gloriam DEI. Dab. *Lugd. Batav.* A. D. 1. *Sept.* MDCCXXXVIII.

PRÆFA-

CANDIDO AC BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

T. H. VAN DEN HONERT.

Cum prior harum mearum Historico-Biblicarum Dissertationum Edi-

tio intra paucorum admodum menſium ſit diſtracta ſpatium; & Typographus a me petierit, ut novam earum curarem editionem, honeſtæ ejus deeſſe nolui petitioni. Utere Tu quoque B. L. his, quæ inſerta & addita ſunt, ad DEI gloriam. Dab. Lugd. Batav. A. D. XIII. *Apr.* MDCCXXXIX.

I.
DISSERTATIO HISTORICA DE CREATIONE MUNDI, SECUNDUM NARRATIONEM MOSIS

Geneſ. Cap. I^mo.

DISSERTATIO HISTORICA DE CREATIONE MUNDI, SECUNDUM NARRATIONEM MOSIS

Geneſ. Cap. I^mo.

De Operibus I^mi. *Diei Comm.* 1--5.

I.

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ

In principio creavit Deus cœlum & terram.

MOſes tribuit DEO creationem cœli & terræ. Et ipſe DEUS hoc ſe diſtinguit Charactere a Gentium Diis *Jer:* X. 11. Ita dicetis iis, inquit *Jehova:* Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, peri-

bunt de terra; & ſub hoc cœlo. Add. *Pſ.* XCVI. 5.

Moſes ſollicitus non eſt de demonſtranda DEI exiſtentia. Hanc ſupponit ſatis cognitam eſſe iis, in quorum gratiam ſuos conſcripſit libros, quosque ab hac creationis mundi incipit hiſtoria. Eſt enim hoc γνωσὸν τ̃ Θεῦ *manifeſtum in omnibus hominibus*: modo interiora mentis ſuæ excutiant. *DEUS enim id iis manifeſtum fecit. Ipſius enim inviſibilia jam inde a condito mundo, ex iis, quæ fecit* DEUS, mente perpenſa, pervidentur. ἀιδιὸς nempe ejus δύναμις, *ſempiterna potentia*, a qua pendent omnia; id eſt, ſuam, eamque omnimodam, habent exiſtentiam; ut & ejus Θειότης *divinitas*, qua ipſe abſolute eſt independens, utpote qui ſuam a nemine accepit exiſtentiam, ſed virtute infinitæ ac ſufficientiſſimæ eſſentiæ ſuæ neceſſario exiſtit. Idque iis ita manifeſtum factum eſt, ut, ſi hoc non agnoſcant, ac DEUM tanquam talem non glorificent, ſint ἀναπολόγητοι. *Rom.* I. 19, 20.

Accedit, quod *Iſrael*, cui *Moſes* ſuos libros cuſtodiendos, & cum univerſa Eccleſia communicandos, tanquam fidelis in tota DEI domo miniſter (*Hebr.* III. 2. Coll. cum *Rom.* III. 2.) tradidit, de DEI exiſtentia neutiquam dubitare potuit. Utpote qui extenſa DEI manu ac forti brachio ex Ægypti-

gyptiaca ſervitute vindicatus, ac per mare algoſum in deſertum ad montem Sinai adductus, ex illo monte DEUM ipſum audiverat hæc verba pronunciantem: *Ego Jehova ſum DEUS tuus, qui te ex Ægypto, ex domo ſervitutis eduxi. Exod.* XX. 2.

De hoc jam DEO, cujus viderat *Iſrael* ſigna & prodigia; & quem audiverat ex medio igne de monte Sinai loquentem, dicit hic in principio hujus Hiſtoriæ *Moſes*, quod ipſe hic Deus, qui ſe Iſraeli ſatis manifeſtum fecerat, eumque ſibi aſſeruerat in peculium ſuum, *creaverit cœlum & terram.*

DEUS nominatur in ſacra Scriptura *variis*, iisque *admodum diſtinctis*, *nominibus*: quæ omnia DEUM repræſentant in hac vel illa diſtincta ſua relatione ad ſuas creaturas; atque in iis præcipue ad creaturas rationales. Inter hæc DEI nomina frequentiſſimi uſus eſt nomen, אלהים, quo eum in principio hujus Hiſtoriæ nominat *Moſes.*

Nomen hoc, אלהים, ſi *ad uſum* ejus attendamus, repræſentat DEUM in illa ſua ad creaturas rationales relatione, qua ipſis eſt objectum religioſi cultus: quæ omnes & ſingulæ ob ſuam, ac totius mundi abſolutam *ab Eo* dependentiam, DEUM agnoſcere debent pro ſuo *Domino*: a quo non tan-

tum *physice*, sed etiam *moraliter dependent*: ad cujus quippe *legem moralem* se componere debent, certissime persuasæ, quod ut *judex* earum eas secundum suæ legis sanctionem sit judicaturus. *Rom.* I. 20. II. 6–10. Atque hinc est, quod nomen hoc אלהים formulam fœderis inter DEUM ac homines ingrediatur. Confer. *Gen.* XVII. 7, 8. cum *Exod.* XX. 2. & *Psalm.* XXXIII. 12.

Vocat ergo *Moses* in hac Creationis Historia DEUM quam significantissime, אלהים. Arguit enim *Creatio mundi*, omnium omnino rerum, quæ a DEI natura diversa & distincta sunt, omnimodam a DEO dependentiam. Estque hæc omnimoda omnium rerum a DEO *naturalis dependentia* fundamentum *obligatorium religiosi illius cultus*, quo *creaturæ rationales* DEUM ex officio prosequi debent. *Rom.* I. 20. *Deut.* XXXII. 6.

Habet hoc nomen, אלהים, terminationem *pluralis numeri:* quod neutiquam fit, acsi careret *numero singulari*, ejusque singularis numerus nusquam in sacra occurreret Scriptura. In singulari enim numero (in quo sonat אֱלוֹהַּ) sæpissime usurpatur. Estque hic *singularis ejus numerus* frequentissimi in *Jobi* (ubi *pluralis* numerus, אלהים, ad

admodum raro usurpatur) præcipue libro usus.

Recte itaque hic cogitarunt præstantissimi Theologi de *pluritate in una*, *simplicissima*, atque *individua DEI essentia.* In ea enim personaliter distincti sunt *Pater*; *Filius*; & *Spiritus sanctus.* Quique singuli (quæ ratio est, cur *Moses* hic adhibuerit *pluralem numerum*) suam habuerunt in creatione partem. *Per verbum enim Jehovæ cœli facti sunt, & per Spiritum oris ejus omnis exercitus eorum.* Conf. *Joh.* I. 1–3. & *Gen.* I. 2. Atque hinc est, quod DEUS ipse *Comm.* 26. *hujus Cap.* de se tanquam *de pluribus* loquatur. Alloquitur enim Consilii ac Operis sui socios: Faciamus hominem cum imagine *nostra*, propter similitudinem *nostram.*

Triunus itaque DEUS, consideratus ut objectum religiosi cultus (quare hic vocatur אלהים) *creavit cœlum & terram.*

Cœlum hic dicitur שמים. Qui *dualem* numerum se in hoc vocabulo propter ejus terminationem, *aim*, invenire existimant, illi nimis *grammatizant.* Quemadmodum ante hos XXVI. annos in *Commentario meo de Christi Sacerdotio secundum ordinem Melchizedeki*, *pag.* 44–47. per omnes tantum non consonantes Hebraicæ linguæ finales,

demonſtravi. Accedit, quod Scriptura ſacra cœlum non in *duo*, ſed in *plures* dividat cœlos. Paulus Apoſtolus *tertii* diſerte mentionem fecit Cœli. 2 *Cor.* XII. 2.

Per Cœlum in primo hoc commate intelligere non debemus cœlum jam *adornatum*. De ejus enim adornatione demum, ac ſatis diſtincte, agitur in ſequentibus *comm.* 3. 6. 8. 14--19. 20. Oportet ergo, ut in *hoc comm.* 1. per Cœlum tantum intelligamus *materiam cœleſtem*; ex qua Deus deinde produxit omnia, quæ ad cœli, vel amplisſimæ cœleſtis illius regionis, faciunt ornatum. Ut adeo *materia illa* cœli neutiquam *præexſtiterit*, ſed primo die a DEO *creata ſit*. Quare dixit Paulus *Hebr.* XI. 3. quod τὰ βλεπόμενα, quæ *videntur*, facta ſint μὴ ἐκ φαινομένων, non ex iis, quæ *apparent*. Produxit enim DEUS primum per infinitam voluntatis ſuæ efficaciam materiam cœli; ac deinde ex illa cœleſti, ab ipſo producta, materia fecit ea, quæ in ampliſſimo cœli ambitu videntur, & conſpiciuntur. Sic *vocat Deus quæ non ſunt, acſi eſſent*, ſiſtitque ea per efficaciſſimam hanc ſuam vocationem. *Rom.* IV. 17.

Præter *hanc cœli materiam creavit* quoque Triunus DEUS *materiam terræ*, quæ hic vocatur ארץ. Per quod vocabulum hic quoque intelligere non poſſumus *ter-*

terram rebus ſuis jam *inſtructam atque adornatam*. Nam de ejus adornatione demum, ac diſtincte, agitur *comm.* 9. 11. 12. 24--31. Atque ita *de materia terræ* idem affirmandum, quod *de materia cœli* jam demonſtravimus: illam ſcilicet neutiquam *præexſtitiſſe*, ſed *a DEO creatam eſſe*. Hinc, præterquam quod *Pauli* locus *Hebr.* XI. 3. æque ad *materiam terræ*, quam ad *materiam Cœli* accommodari queat, ac debeat, dicit ſuprema Sapientia, *pulviſculos* mundi habuiſſe initium; ſeque ante initium illorum pulviſculorum jam exſtitiſſe *Prov.* VIII. 26. Nondum inquit, fecerat terram, neque *initium pulviſculorum* mundi.

Innuunt tamen hæc verba, [*Cœlum* & *terra*], quod ex prima hac creatione *materia Cœli*, & *materia terræ* neutiquam *confuſæ inter ſe* fuerint, acſi confuſiſſimum conſtituiſſent *Chaos*, quale profani ſinxerunt & commenti ſunt Poetæ. Sed quod *materia Cœli*, ex qua adornaret DEUS ampliſſimam cœli regionem, per hanc creationem diſtinctiſſima fuerit a *Materia terræ*. Ut adeo omnia cœleſtia corpora tantum *ex materia cœli*: & omnia terreſtria corpora tantum *ex materia terræ* deinde facta, ac formata ſint.

Hanc jam cœli & terræ *materiam creavit* Triunus DEUS. Verbum ברא, quod ad-

hibet *Moſes*, ſignificat, ſola voluntatis infinitæ efficacia, ſine interventu cauſarum ſecundarum, aliquid ſiſtere: ſive id fiat ex præexiſtenti materia (conf. *comm.* 27. hujus *cap.* cum *cap.* II. *comm.* 7.) ſive id fiat ex nulla prorſus præexiſtenti materia. Id quod ſignificanter, *creare ex nihilo*, vocare ſolent Theologi.

Cum jam *Moſes* hoc verbum ברא, & de *materia Cœli*, & de *materia terræ* uſurpaverit, intelligimus ſatis, *nec materiam Cœli, nec materiam terræ præexſtitiſſe*; ſed ſola divinæ voluntatis infinita efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, productam, excitatam, atque exhibitam eſſe. Ut adeo fruſtra ſint, qui mundum *ex atomis conflatum*; aut *ex monadibus*; *aut moleculis*, neſcio, quibus, quas in locum atomorum Epicuri ſubſtituunt, compoſitum eſſe tradunt.

Hanc autem diſtinctam *materiæ*, & *cœleſtis*, & *terreſtris*, creationem factam eſſe a DEO, dicit *Moſes* בראשית, *in principio*. Quemadmodum enim DEUS concipi non poteſt, niſi *ſine tempore*. Id eſt, *ſine principio* ac *fine* exiſtentiæ ſuæ; atque *ſine ulla* in ſua exiſtentia *ſucceſſione*; quia ejus exiſtentia ex ipſius realiſſima, ac neutiquam dependente naturaliter fluit eſſentia: ſic creatura concipi non poteſt, *ſine tempore*, propter omnimodam ſui a DEO dependentiam. Involvit enim ejus creatio *principium exiſtentiæ* ſuæ. Cujus exiſtentiæ ſuæ ſucceſſionem ei conſervat idem DEUS, qui eam creavit: quemadmodum quoque idem DEUS omnem rem creatam providentia ſua ad eum, quem ei conſtituit, perducit finem. Quia autem ſolus Triunus DEUS, qui eſt DEUS Iſraelis, cœlum & terram creavit, hoc quoque charactere ipſe ſe diſtinguit ab omnibus aliarum gentium Diis, dicens *Jer.* X. 11. *Dii, qui non fecerunt Cœlum, & terram, peribunt de terra; atque ſub hoc cœlo*, recte dixit Moſes, DEUM *in principio creaſſe cœlum, & terram.*

De hac jam terra, ſive materia terreſtri (quam DEUS in principio infinita voluntatis ſuæ efficacia ſtitit) dicit *Moſes*.

2.

והארץ היתה תהו ובהו.

Et hæc terra erat Inerş & Torpida.

Hæc terra, id eſt *materia terreſtris*, ubi primum ſiſtebatur, atque ex manu DEI primum prodibat, nondum erat inſtructa illa facultate, qua potuit, ut *cauſa ſecunda*, aliquid efficere. Erat enim תהו ובהו. Quæ verba reddo: *iners & torpida.*

Cla-

Clariſſimus *Melchioris*, diſputans de *Materiæ dependentia*, dixit: Invenio materiam *inertem* & *torpidam*. Quæ verba mihi videntur veram vocabulorum, תהו ובהו, notionem, ac præcipue hoc in loco, ſecundum *Moſis* intentionem, quam ſignificantiſſime exprimere.

Erat enim hæc terra, vel *terreſtris materia* adhuc תהו *iners*, carens *facultate illa*, qua deinde inſtructa fuit ad producendum (conf. *Gen.* II. 11. 12.) omne genus herbarum & fruticum. Hæc quippe *facultas creaturarum*, qua *cauſarum ſecundarum inſtar*, dependenter a DEO (tanquam *cauſa prima*) aliquid producunt, ac efficiunt, tollit ab iis naturalem earum *inertiam*.

Hanc veram vocabuli, תהו, eſſe notionem, quod ſignificet *inertem*, ſatis ſuperque vel inde liquet, quod uſurpetur de falſo dictis Diis, quos Gentes per Imagines ſibi ab antiquiſſimis jam ſolitæ fuerunt repræſentare temporibus. *Samuel* dicit 1 *Sam.* XII. 21. Idola vocari תהו, quia *non proſunt*, neque *eripiunt:* quia tanquam *cauſæ ſecundæ* (nedum tanquam *cauſa prima*) nihil plane efficere poſſunt. Hinc de iis paſſim dicitur: Habent os, ſed non loquuntur; habent oculos, ſed non vident; aures habent, ſed non audiunt; habent naſum, ſed non olfaciunt; habent manus, ſed non palpant; habent pedes, ſed non ambulant. Omni ſcilicet omnino arte, & facultate aliquid faciendi deſtituuntur. Add. *Eſaj.* XLI. 29. DEUS vero, ut ſe ab Idolis gentium diſtinguat, dicit, ſe tanquam תהו, tanquam *inertem*, qui *facultate operandi* deſtituatur, conſiderari non debere. *Ego non locutus ſum*, ait *Eſaj.* XLV. 19. *clam, nec in loco terræ tenebricoſo. Non dixi ſemini Jacobi, quærite me* תהו, *tanquam inertem;* qui caret *facultate agendi. Ego enim Jehova loquor juſtitiam, & annuncio quæ recta ſunt.* Conf. *comm. ſequens* 20.

Etiamſi itaque Deus terrarum orbem condere decreverat: non, ut eſſet תהו, *iners;* ſed ut habitaretur, atque incolis abundaret, quibus DEUS ex terra quam largiſſime proſpiceret: materia tamen terræ hujus, cum eam DEUS infinita voluntatis ſuæ primitus ſiſteret efficacia, erat adhuc תהו, *iners*, atque omni adhuc deſtituebatur *agendi*, *operandi*, atque *aliquid producendi facultate*, utpote quam demum tertio accepit die (conf. *comm.* 11. 12. *hujus Cap.*) virtutem & facultatem.

Significantiſſima ſane ſunt Dei verba, quæ occurrunt *Eſaj.* XLV. 18. Ita loquitur Jehova, *qui cœlum creavit; hic eſt Deus, qui terram formavit;* atque *eam fecit: confirmavit eam, non creavit eam* תהו, *ut eſſet*

ſet iners ; ſed ut habitetur, formavit eam. Ego Jehova & nemo præterea. Licet itaque DEUS *materiam terræ primitus ita creaverit*, ut fuerit תהו, *iners ;* non tamen eam creavit, ut *ſemper maneret* תהו, *iners;* ſed ut ex ea formaret *terram habitabilem.* Hinc quoque in Scriptura ſacra *ſolitudo*, quæ diſtinctas non habet, vel potius nullas habet vias, quas proficiſcentibus per eam, *ſecundarum cauſarum inſtar*, monſtrat, dicitur תהו, *Job.* XII. 23. & *Pſalm.* CVII. 40.

De hac autem terræ materia non tantum dicit *Moſes*, quod fuerit תהו, *iners ;* ſed etiam quod fuerit בהו. Quod vocabulum cæteroquin ſynonymum, hic loci vertendum cenſeo, *torpida.* Terreſtris enim hæc materia hoc temporis ſui initio non tantum erat *iners;* (quæ *artificioſe* nihil *operari* potuit) ſed etiam *torpida.* Utpote quæ ſe, ad aliquid agendum, nec *erigere*, nec *excitare* ullo potuit modo. Fruſtra enim Spiritus Sanctus hoc ſynonymum vocabulum, בהו, hic adhibendum non curavit; ſed vult, ut, ad evitandam omnem omnino ταυτολογίας ſpeciem, id ab altero illo vocabulo, תהו, prudenter diſtinguamus. Nec abhorret hæc hujus vocabuli notio ab ejus, quem duobus adhuc in locis habet, uſu. Eſt enim locus; qui occurrit *Jer.* IV. 23. plane parallelus, atque *Eſaj.* XXXIV. 11. eadem hæc occurrunt ſynonyma.

Dicit porro *Moſes :*

וחשך על פני תהום

Et erant tenebræ ſuper facie abyſſi.

Terram, id eſt *materiam terreſtrem*, ex qua terrarum orbem exornare decreverat Triunus Deus ; quamque dixerat *Moſes* תהו ובהו, *inertem*, & *torpidam*, hic vocat *Moſes* תהום, *abyſſum.* Significat תהום *maſſam corpuſculorum*, vix ac ne vix quidem cohærentium. Quæ quaſi *fundo* caret, utpote quæ ponderoſis corporibus ſuo in deſcenſu, quia fundo & ſufficienti caret reſiſtentia, impedimentum præbere non poteſt. Hinc plerumque in ſacra Scriptura uſurpatur de *mari ;* & *altiſſimis*, ac *profundiſſimis voraginibus*, quæ fundo carere videntur. *Exod.* XV. 5. *Job.* XXXVIII. 30. *Jon.* II. 5. *Pſ.* XXXIII. 7.

Erat ſcilicet hæc *materia terreſtris* ex prima creatione, *lutoſa.* Erat quippe hæc terra, id eſt *materia terreſtris aquis macerata; ac madida:* in cujus maſſa vel orbis iſtius viſceribus, nusquam reperiri potuiſſet fundus.

Super hujus *materiæ terreſtris* (fundo carentis) ſuperficie, hanc molem vel orbem mate-

materiæ terreſtris ambiente, erat חשך, erant *tenebræ*.

חשך, *Tenebræ* arguunt abſentiam radiorum lucentis corporis. Atque ſic hic ſignificatur, ex prima hac & *materiæ terreſtris*, & *materiæ cœleſtis* creatione nondum exſtitiſſe radios lucentis alicujus corporis, quod ſuæ lucis radios deinde per ſphæram activitatis ſuæ ſpargeret.

Has *tenebras* refert *Moſes* ad *materiam cœleſtem*: quemadmodum illud תהו ובהו, illam *inertiam*, ac *torpedinem* ad *materiam terreſtrem* retulerat. Significatque, *materiam cœleſtem*, ex prima ſui creatione, non minus caruiſſe illa facultate, qua cauſæ ſecundæ ſua deinde ſiſtere & producere cœperunt effecta, quam ea ex prima ſui creatione caruit *materia* terreſtris. Nullus ſcilicet per primam creationem adhuc erat in cœleſti materia excitatus motus, atque ita nulli lucis radii, (qui ſine motu concipi non poſſunt) in ea tunc locum habere potuerunt. Nullos itaque Cœlum tunc emittebat radios, quibus abyſſum illuminabat, atque ita erat חשך, erant tenebræ ſuper ſuperficie abyſſi. Sed abyſſus, (id eſt, lutoſus terraqueus orbis) erat quaquaverſum tenebris obſita: omni omnino ex prima hac ſui creatione adhuc carens luce. Sic ſolet Scriptura ſacra, ubi tribuit terræ תהו ובהו, inertiam,

ertiam, & torpedinem, cœlo tribuere חשך, *abſentiam lucis*, id eſt, *tenebras*. Conf. *Jer.* IV. 23.

Hactenus nobis expoſuit *Moſes*, quo pacto ſe habuerit ex prima ſui creatione & *materia terreſtris*, & *materia cœleſtis*. Erat enim terra, id eſt, *materia terreſtris*, ex prima ſui creatione תהו ובהו, *iners* & *torpida*: & Cœlum, id eſt, *materia cœleſtis*, erat ex prima ſui creatione *ſine luce*. Tenebræ enim tunc erant ſuper ſuperficie abyſſi.

Erat itaque *primum primi dici opus creatio* & *materiæ cœleſtis*, & *materiæ terreſtris*. Quæ ex prima hac ſui creatione plane caruit facultate, *ſecundarum cauſarum inſtar*, agendi, operandi, atque aliquid efficiendi. Oſtenditque *Moſes* in ſequentibus ſatis diſtincte, unde hæc *materia* & *terreſtris* & *cœleſtis* hanc facultatem, *cauſarum ſecundarum inſtar*, agendi, atque operandi, deinde acceperit, quando ſubjungit:

ורוח אלהים מרחפת על פני המים.

Sed Spiritus DEI ſe agitabat ſuper ſuperficiem aquæ.

Materiæ terreſtris maſſam orbicam, quam *Comm.* 1. & hoc 2. dixerat *terram*, &

abyſſum, nunc vocat מים *aquam*. Vidimus *hanc maſſam* fuiſſe *terram aquis maceratam*, *luti* admodum *madidi* indolem referentem, quare eam hic ab *aquoſis ſuis* denominat particulis. Qui vocabulum, מים ob terminationem ſuam, *aim*, *dualis numeri* eſſe pronunciant, æque nimis grammatizant, ac illi faciunt, qui vocabulum שמים inter *dualis numeri* vocabula recenſent. Confer quæ in Commentario meo de Sacerdotio Chriſti ſecundum ordinem *Melchizedeci pag.* 47. ante hos XXVI. annos diſputavi.

Super ſuperficiem hujus aquæ (id eſt, hujus *materiæ terreſtris* aqua maceratæ, orbiculatæ maſſæ) agitabat ſe Spiritus Dei.

Qui hic per רוח אלהים, *Spiritum DEI*, intelligunt *ventum vehementiorem*, errant vehementer. Primo enim hoc die nondum exſtabat *Ventus:* Eſt enim ventus nihil aliud, niſi aeris extraordinaria agitatio. Cum jam aer ſecundi demum diei ſit opus, non potuit ille extraordinaria ſui agitatione primo die ullum excitare ventum. Cumque *materia terreſtris* adhuc fuerit *iners* & *torpida*; & *materia cœleſtis* adhuc ſine motu, ac tenebricoſa plane, fruſtra talis vehementior ventus vel apud *materiam Cœleſtem;* vel apud *materiam terreſtrem* hic quæreretur: ſed oportet, ut ille DEI *Spiritus*, & a *materia terreſtri* & a *materia cœleſti* fuerit diſtinctiſſimus. Utpote qui

qui hic conſideratur tanquam *cauſa*, eaque efficiens: quæ ſua ſuper ſuperficie aquæ agitatione efficeret, ut terra, id eſt, *materia terreſtris* liberaretur a ſuo תהו ובהו, ſua *inertia* ac *torpedine*, reciperetque facultatem, *cauſarum ſecundarum inſtar*, dependenter a DEO, *agendi*, *operandi*, & *effecta producendi;* atque ut cœlum, id eſt, *materia cœleſtis* quoque acciperet facultatem dependenter a DEO *agendi*, *operandi*, atque inter alia *effecta*, *tenebras* quoque *in lucem convertendi*, vel cum luce commutandi. Atque ita intelligimus, quod hunc DEI Spiritum inter creaturas neutiquam recenſere debeamus, ſed habere pro Tertia individuæ divinæ eſſentiæ perſona, qui Spiritus DEI dicitur, quia *perſonalis ejus Character* eſt, procedere a DEO *Joh.* XV. 26. & qui ſecundum conſilium Triunius DEI *œconomice* opera DEI Patris & Filii perficit & conſummat. Hinc de opere creationis dicitur *Pſalm.* XXXIII. 6. Per verbum Jehovæ Cœli facti ſunt, & *per Spiritum oris* ejus omnis exercitus eorum.

Spiritus itaque *DEI*, id eſt, *Tertia triunitatis perſona* agitavit ſe, non ut *cauſa ſecunda*, ſed ut *cauſa prima:* utpote qui infinita Voluntatis ſuæ virtute & efficacia, & *materiam terreſtrem* & *materiam cœleſtem* deduceret in actum, atque in iis excitaret,

ac produceret facultatem, *dependenter a DEO agendi, operandi*, & *effecta*, ad quæ producenda DEI decreto deſtinatæ erant, *producendi.*

Hæc autem *Spiritus DEI* actuoſa in *materiam* & *terreſtrem* & *cœleſtem* efficacia, & operatio vocatur hic ſui ipſius *agitatio. Spiritus* enim *DEI*, inquit *Moſes*, *agitabat ſe ſuper ſuperficiem aquæ.* Verbum רחף, rarioris uſus eſt in ſacra Scriptura. Liquet tamen ſatis, quod ſignificet agitationem generatim, quæ eſt in continuo motu; & ſpeciatim, quæ eſt ad aliquid *fovendum*, atque *perficiendum.* Uſurpatur enim *Deut.* XXXII. 11. de *aquila*, quæ *ſe agitat ſuper pullos ſuos*, ſuas expandit alas, ut eos portet. Sic quoque *Spiritus DEI* ſe agitavit ſuper ſuperficiem aquæ, ut illa ſua agitatione materiam, & *terreſtrem* & *cœleſtem* afficeret; in actum deduceret, eumque in finem foveret, atque ad (cauſarum ſecundarum inſtar) *agendum* & *operandum* inſtrueret, ac perficeret. Hoc autem ut in *materia* & *terreſtri*, & *cœleſti ſimul* efficeret, *agitabat ſe ſuper ſuperficiem aquæ*, cujus ſuperficies hanc *terreſtrem* atque *aquoſam maſſam orbicam* extrinſecus quaſi tegebat. In confinio ſcilicet *materiæ terreſtris*, & *materiæ cœleſtis*, ubi *materia terreſtris* & *materia cœleſtis* ſe invicem, ſine ulla tamen mutua

mutua confuſione, contingebant, agitabat ſe *Spiritus DEI*, ut illa ſua agitatione & *Cœlum* & *terram* aptum redderet, ad *dependenter a DEO* ea, quæ *ad ornatum* & *Cœli* & *terræ* ex decreto DEI facerent, *producendum.*

3.

ויאמר אלהים יהי אור ויהי אור.

Et dixit DEUS eſto lux: & fuit lux.

Triunus DEUS *dixit*, id eſt, infinita voluntatis ſuæ efficacia *juſſit*, ac *mandavit*, ut Lux ex tenebris, quæ ex prima & *terreſtris* & *cœleſtis materiæ* creatione, erat ſuper abyſſo, prodiret, ac ſe ſiſteret. DEI enim loqui & jubere efficit, ut, quod exiſtentiam, neque *ex ſe*, neque *aliunde* habet, efficaciſſima hac voluntatis ſuæ virtute eam a DEO accipiat. *Vocat enim ea, quæ non ſunt*, quæ exiſtentiam non habent, *acſi eſſent*, acſi exiſterent, accipiuntque divina hac infinitæ efficaciæ vocatione, ſuam, quam non habebant, exiſtentiam. *Rom.* IV. 17. Add. *Pſ.* XXXIII. 9.

Hoc vero juſſum DEI [*eſto*, vel, *fiat lux*] adeo efficax fuiſſe, ut ſolum hoc ſuum juſſum, ſine ulla cauſarum ſecundarum interventu,

ventu, produxerit, ac ſtiterit lucem, quæ ante hoc juſſum nondum exſtiterat, liquet, quia *Moſes* ſubjunxit, atque *fuit*, vel *facta eſt Lux*.

Lux omnis ſupponit *corpus lucens*, quod per univerſam ſuæ activitatis ſphæram ſuos emittit radios, ad omnia illa, quæ in activitatis ſuæ ſphæra continentur, ſecundum illam ſaltem partem, quæ lucenti huic corpori obverſa eſt, illuminandum. Unde facile intelligimus, quod omne tale lucens corpus in ſphæra activitatis ſuæ ejus occupare debeat *centrum*, ex quo ad omnes iſtius activitatis ſuæ terminos ex ſe ſuos emittit radios: niſi opaco aliquo, quod in activitatis ſuæ ſphæra offendit, impediatur corpore, quo minus lucidum illud corpus radios ſuos circumquaque per ſphæram activitatis ſuæ æqualiter emittere queat.

Cum jam orbis creatæ *terreſtris materiæ* ſit corpus opacum, quod ſuum habet locum in hujus a DEO creati lucentis corporis regione, quam radiis ſuis primo creationis die illuminare cœpit, fieri aliter non potuit, quin lucens illud corpus illam orbis *terreſtris materiæ* partem ſuis illuminaret radiis, quæ lucenti huic corpori erat obverſa. Atque ita univerſa lucentis hujus corporis ſphæra activitatis, radiis ejus non tantum fuit illuminata; ſed terra quoque illa ſua parte,

parte, qua lucenti huic corpori fuit obverſa, ejus quoque illuminata fuit radiis.

Fuit itaque ſecundum diei primi opus *productio ejusmodi lucentis corporis*, quod radiis ſuis illam regionem cœleſtem, in qua orbica maſſa *terreſtris materiæ* locum habebat ſuum; atque ita lucens illud corpus eam quoque telluris partem, quæ lucenti illi obverſa erat corpori, illuminavit.

4.

וירא אלהים את האור כי טוב.

Et vidit DEUS hanc lucem, quod eſſet bona.

Triunus ſcilicet DEUS ad examen quaſi vocavit hanc lucem, quam infinitæ voluntatis ſuæ juſſu e tenebris evocaverat ac ſtiterat: atque vidit, & expertus quaſi eſt, hanc lucem eſſe bonam, id eſt, convenientem, atque ſatisfacientem plane illi ſcopo, in quem eam ex tenebris evocaverat, atque ſtiterat. Eſt hæc ab hominibus mutua ſumta locutio, quæ Θεοπρεπῶς accipi debet. Opifices ſcilicet inter homines opificium ſuum, quod confecerunt, prius quam illud perfectum & conſummatum pronunciant, ad exa-

men revocare ſolent, ut videant, num quid in eo perpoliendum, & perficiendum adhuc reſtet. Significat itaque *Moſes* hanc lucem ex DEI manu adeo perfecte prodiiſſe, ut melius & conſummatius iſti neutiquam potuiſſet. Erat itaque hæc lux perfectiſſima, & ad DEI, eam creantis, ſcopum aptiſſima, atque accommodatiſſima.

ויבדל אלהים בין האור ובין החשך.

Et diſtinxit DEUS inter lucem & inter tenebras.

Tempus incepit a *tenebris*. Erant enim tenebræ ſuper ſuperficie abyſſi, id eſt, ſuper maſſa orbica *terreſtris materiæ*; atque *ex his tenebris* produxit infinita voluntatis ſuæ efficacia Triunus DEUS hanc lucem. Fecitque inter illas tenebras, quibus in principio omnia prorſus involuta erant, atque inter hanc lucem, quam ex illis tenebris quam efficaciſſime evocavit, diſtinctionem: qua non tantum differentia, quæ lucem inter ac tenebras intercedit, conſpicua eſt; ſed qua lux & tenebræ quam conſtantiſſime ſuas obirent vices, qua ſcilicet tenebræ per vices commutarentur cum luce, & lux commutaretur cum tenebris. Id quod cum in regione & ſphæra activitatis lucen-

lucentis corporis locum habere nequeat, niſi radii ejus in ea offendant corpus opacum, quod tranſitum radiis iſtius lucentis corporis negat; efficitque, ut pars ejus ab iſto lucente corpore averſa ab ejus radiis illuminari non poſſit: atque cum orbica *materiæ terreſtris* maſſa ſit tale *opacum corpus* in iſta lucentis corporis, quod DEUS primo creavit die, hærens regione, dubitare non poſſumus, quin DEUS *has tenebrarum & lucis vices* in primis reſpectu terræ inſtituerit, ut terra haberet has lucis & tenebrarum viciſſitudines. Secundum quas ſemper pars obverſa ab ejus radiis illuminaretur; & pars ab eo averſa tenebris eſſet obſita. Idque ita, ut pars telluris, quæ per aliquod tempus radiis lucentis iſtius corporis illuminabatur, deinde per certam circumvolutionem illis orbaretur, quando pars illa, quæ ab illo lucente corpore averſa, atque ideo obſcurata fuerat, iſti obverteretur corpori lucenti, atque inde per ejus radios denuo illuminaretur. Ut adeo *hæc circumvolutio*, hujus *lucis & tenebrarum in terra viciſſitudinis* cauſa ſit. Sive *hanc diurnam circumvolutionem huic lucenti in cœlo corpori*; ſive *eam diurnam circumvolutionem* (quemadmodum præſtantiſſimi Philoſophi, & Aſtronomi nunc ſecundum Copernici ſyſtema *volunt*) *telluri tribuamus*. DEUS ita-

que per hanc, ſive *lucentis corporis circa terram diurnam revolutionem*; ſive *ipſius telluris ſuper axe ſuo diurnam circumactionem*, reſpectu terræ diſtinctionem fecit *inter lucem*, atque *inter tenebras*.

5.

ויקרא אלהים לאור יום.

Et vocavit DEUS Lucem Diem.

Lux, quam Triunus DEUS primo die creavit, facit in illa telluris parte, quæ lucenti corpori obverſa eſt, radiis ſuis *diem*, id eſt, illam temporis partem, qua omnia in illa telluris parte illuminata & conſpicua ſunt. Eſt itaque *hæc lucis denominatio*, quod vocetur in lingua Hebræo Biblica, יום, *divinæ originis*, & *auctoritatis*.

ולחשך קרא לילה.

Sed tenebras vocavit noctem.

Tenebræ, quibus obſita eſt illa telluris pars, quæ a lucente illo corpore averſa eſt, faciunt in ea *noctem*, quia radiis iſtius lucentis corporis tunc illuminata non eſt. Unde omnia iſta in parte tenebris obvoluta de-

liteſcunt. Habent ergo etiam *tenebræ* ſuam ab ipſo DEO denominationem, qua vocantur לילה, *Nox*.

Hoc autem temporis ſpatium, cujus *partem lucidam diem*; & cujus *partem tenebricoſam noctem* vocavit ipſe DEUS, conſiderat *Moſes* tanquam *partem integrantem iſtius temporis*, quod facit *ſeptimam hebdomadis partem*: numerat enim *ſeptem diſtinctos dies* in hac creationis Hiſtoria, quibus ſingulis ſingulare aliquod DEI opus ſpeciatim tribuit, ac quorum ſex priores diſtincte dividit in totidem *noctes* & *dies*.

Cum vero *Moſes* in conſtituenda juſſu DEI Iſraelis Republica atque Eccleſia, toties de ſacris eorum & *mane* & *veſperi* peragendis agere debuerit, atque dies ſecundum legalem definitionem a *veſpera*, atque ſolis occaſu incipiendos præceperit: hinc quoque *noctem*, quo nomine DEUS nominavit *tenebras*, recenſet a *veſpera*, quæ noctis facit initium; & *diem*, quo nomine DEUS *lucem* nominavit, recenſet a *mane*, utpote quod facit diei initium. Dicit enim

ויהי ערב ויהי בקר יום אחד.

Et fuit veſpera & fuit mane, Dies primus.

Veſpera hic ſignificat *tenebras* illas, quas vo-

vocavit DEUS *noctem*, quia *veſpera*, occidente ſole, facit noctis initium: & *mane* ſignificat hic *lucem*, quam DEUS vocavit *diem*, quia *mane*, oriente ſole, facit diei initium. Atque ita *veſpera* cum ſua nocte; & *mane* cum ſuo die faciunt illud tempus XXIV. horarum, quod in dimenſione hebdomadum, ac menſium vocari ſolet dies. Hinc dicere ſolebant, orbis circumagitur XXIV. horarum ſpatio. Atque ita creavit DEUS primo creationis die, & *materiam terreſtrem*, quæ ex prima ſui creatione erat תהו ובהו *iners* & *torpida*; & *materiam cœleſtem*, quæ ex prima ſui creatione *carebat luce*: & *primigeniam lucem*, quæ cœpit *diei lucem* a *noctis tenebris* diſtinguere; atque conſtantem ſingulis in diebus *lucis*, id eſt, *diei*; ac *tenebrarum*, id eſt, *noctis* inducere viciſſitudinem. Conf. *Jer.* XXXI. 36.

De Opere II^di. *Diei Comm.* 6--8.

6.

ויאמר אלהים יהי רקיע בתוך מים.

Et dixit DEUS: eſto expanſum in medio aquarum.

Triunus DEUS dixit efficaciſſimo voluntatis

tatis ſuæ juſſu: *Eſto*, vel *fiat expanſum*, id eſt, ſpatium quaquaverſum extenſum, atque expanſum: quod habeat ſuam longitudinem, latitudinem, ac profunditatem: exiſtatque hoc ſpatium extenſum in medio aquarum. Vocaverat *Moſes comm.* 2. orbicam terreſtris materiæ molem, *aquam*: ſuper hujus enim aquæ ſuperficiem agitabat ſe *Spiritus DEI*, ut eam afficeret, atque in actum deduceret. De eadem hac aqua jam dicitur, quod DEUS quam efficaciſſime juſſerit, ut ea divideretur per hoc *expanſum*, quod juſſit exiſtere in medio hujus aquæ. Cujus ſcilicet partem ſubduceret DEUS infinita voluntatis ſuæ efficacia in altum; dum alteram ejus partem relinqueret in orbica illa terreſtris materiæ maſſa: atque inter has aquæ partes in altum ſubductas, & illas, quæ in orbe terreſtris materiæ relictæ erant, exiſteret hoc *expanſum*. Quia autem hæc terreſtris materiæ maſſa orbicam habuit figuram, intelligimus ſatis, quod hæc aquæ pars, quæ in altum ſubducebatur, circulum deſcribere debuerit circa orbicam hanc terreſtris materiæ molem: atque ideo debuit quoque hoc *expanſum* inter duas haſce aquæ regiones *orbicam* induere *formam*, qua terreſtris materiæ molem orbicam circumquaque ambire, atque circuli, vel orbis inſtar intra ſe continere debuit. Hinc dixit ſuprema Sapien-

pientia *Prov.* VIII. 27. DEUM definiviſſe חוג *circulum*, vel *ambitum* ſuper ſuperficiem abyſſi. (Conf. *Gen.* I. 2. cum *Prov.* VIII. 27.) Eſſet quippe hoc expanſum in medio harum aquæ regionum, ut aquam in altum ſublatam circumquaque ſuſtineret, ne ſubito iterum concideret in terram; atque ut aquam, quæ relinqueretur in terra, circumquaque contingeret: ut adeo hujus *expanſi* terminus a quo, eſſet *aqua* in terreſtris materiæ orbe relicta; & terminus ejus ad quem, eſſet aqua in altum ſublata. Hinc dixit porro *Moſes:*

ויהי מבדיל בין מים למים.

Et eſto dividens inter aquam & aquam.

Expanſum ſcilicet illud ſepararet aquam in altum ſubductam, ab aqua, quæ ſecundo illo die adhuc relinqueretur in ſuperficie terreſtris materiæ orbicæ molis. Dubitare non poſſumus, quin aquæ, quas in altum ſubduci ſecundo hoc die juſſit Triunus DEUS, ſint illæ aquæ, quæ continerentur *in nubibus.* Dicit enim *Job. Cap.* XXVI. 8. *ligat aquas in nubibus ſuis.* Et ſuprema Sapientia *Prov.* VIII. 28. DEUM, cum faceret *circulum ſuper ſuperficiem abyſſi*, ſuperiores confirmaſſe *nubes.* Hanc ſuperiorem aquam,

aquam, quam ſubduxit DEUS, & ligavit ſuperne in nubibus ſuis, ſeparavit ab iſta aqua, quam ſecundo adhuc die relinquebat in ſuperficie terræ, ut ex ea tertio faceret die aquas fontium, fluviorum, ac marium. Quare ſuprema Sapientia *Prov.* VIII. 27---29. hæc conjungit: Cum aptaret DEUS cœlum, ibi eram, cum definiret *circulum in ſuperficie abyſſi*, cum fortificaret ſuperiores *nubes* ſuperne, cum roboraret *fontes abyſſi*, cum imponeret *mari* ſtatutum ſuum, & *aquis*, ne transgrediantur præſtitum oris ipſius, cum ſtatueret fundamenta terræ.

Ex hac autem aquæ ſubductæ in nubes ab aquis, quæ relinquebantur in terra, per hoc *exſpanſum* ſeparatione, percipimus clare & diſtincte ſatis, hoc *exſpanſum* ipſum illud eſſe ſpatium, quod Philoſophi vocant *Telluris atmoſphæram:* in qua aer ſuam ſua elaſticitate exercet vim, cujusque reciprocatione animantia, atque inter ea homines, poſtquam ſexto creati ſunt die, ſuum halitum, ac animalem ducunt vitam.

Hoc *expanſum* non tantum juſſit DEUS prodire, ut *exiſtat* inter aquam in nubes ſubducendam, & aquam in terra adhuc relinquendam; ſed de hoc expanſo dicit præter ea *Moſes*, quod DEUS id *fecerit.* Quare ſic pergit:

7.

ויעש אלהים את הרקיע.

Et fecit DEUS hoc exſpanſum.

Præterire hic neutiquam debemus, ſed animadverſione noſtra judicare digniſſimum, quod *Moſes* hic non ſubſiſtat in voluntatis divinæ efficaciſſima juſſione [*Eſto expanſum in medio aquarum*] ſed quod addat, ipſum DEUM *feciſſe hoc exſpanſum*, cujus exiſtentiam juſſerat, cum hoc verbum, עשה, *fecit*, de omnibus & ſingulis DEI operibus non uſurpaverit *Moſes*. Dicit quidem *Moſes* hujus *Cap. comm.* 31. de omnibus omnino operibus DEI generatim, quod hæc omnia *fecerit*, ſed de ſingulis DEI operibus id ſpeciatim non dixit.

Oportet itaque, *Moſen* ſuas habuiſſe rationes, quoties de ſpeciali aliquo DEI opere hoc verbum עשה, *fecit*, uſurpaverit.

Licet enim omnia & ſingula DEI opera ita ſint comparata, ut perpetua indigeant DEI ſuſtentatione, dantur tamen inter ea quædam, quæ id tam aperte oſtentant, ut eorum perpetua, a DEI perenni & ſpecifica ſuſtentatione, dependentia, modo ad eorum exiſtentiam recte attendamus, quam maxime ſit conſpicua. Eſtque *hoc expanſum*, ſe-

ſecundi hujus diei opus, procul omni dubio inter reliqua DEI opera ita comparatum, ut certiſſimum faciat indicium perpetuæ ſui a DEO dependentiæ. Quis enim ſuo concipere, ac comprehendere poteſt ingenio, quo pacto fieri queat, ut *hoc expanſum*, *hæc telluris atmoſphæra*, licet aere elaſtico ſit repleta, aquas in nubibus ſuſtineat. Quare etiam *Jobus* mirabundus dixit *Cap.* XXVI. 8. *Ligat aquas in nubibus ſuis, quæ tamen non finduntur ſub eis.* Ut itaque hic moneat lectores ſuos *Moſes*, in *hoc expanſo*, tanquam luculentiſſimo perpetuæ, atque nunquam intermiſſæ divinæ ſui ſuſtentationis indicio, perpetuam ac ſpecificam DEI circa omnes & ſingulas creaturas ſuas contemplandam eſſe providentiam. Atque hinc, non contentus dixiſſe [Eſto *expanſum* in medio aquarum] addidit: & *fecit* DEUS hoc *expanſum*, *ut* illud, tanquam cauſa ſecunda, dependenter a DEO (qui eſt omnium naturalium effectuum cauſa prima) aquas ſuperiores ſuſtineret in nubibus, easque non niſi ad DEI nutum & voluntatem emitteret. Ob hanc quoque rationem addit *Moſes*, quod DEUS non tantum *juſſerit*, ut hoc expanſum diſtingueret aquas in altum ſubductas ab aquis, quas in terra reliquerat: ſed quod *ipſe* etiam *DEUS* has aquas ita diviſerit, atque diſ-

tinxerit. Ita enim pergit :

ויבדל בין המים אשר מתחת לרקיע ובין המים אשר מעל לרקיע.

Et diſtinxit inter aquas, quæ ſunt in inferiore parte expanſi, & inter aquas, quæ ſunt in ſuperiore parte expanſi.

Dixerat Triunus DEUS, eſto [expanſum] diſtinguens inter aquas & aquas. Ex hoc DEI mandato accepit hoc expanſum virtutem, qua cauſæ ſecundæ inſtar, dependenter a DEO, aquas in nubibus ſuſtinere, atque ab aquis in terra diſtinguere poſſit. Sed ut Lector memor eſſet perpetuæ expanſi in hac aquarum diviſione a DEO, tanquam cauſa prima, dependentiæ, tribuit *Moſes* hac in hiſtoria hanc aquarum ſuperiorum & inferiorum diviſionem ipſi DEO. Triunus ſcilicet DEUS, ut cauſa prima, interventu hujus *expanſi*, tanquam cauſæ ſecundæ, dividit has aquas ita, ut ſuperiores aquæ in ſuperiori expanſi parte ad nutum DEI contineantur in nubibus ; atque ut inferiores aquæ integro adhuc hoc ſecundo die in inferiori expanſi parte, qua orbiculatam materiæ terreſtris molem contingit, retinerentur. Sortitaque eſt hæc DEI molitio & operatio ſuum effectum. Addit enim *Moſes:*

ויהי

ויהי כן.

Et erat ita.

Et *erat*, vel, & *factum* eſt, inquit *Moſes*, illud *exſpanſum ita*, quemadmodum illud ipſe fecerat DEUS. Reſpondebat illud exſpanſum DEI ſcopo ac propoſito, quod in eo producendo, ac ſiſtendo ſibi fixerat, quam accuratiſſime.

Cum jam *Moſes* ex infallibili Spiritus ſancti patefactione atque inſtinctu hæc verba, *& erat ita*, ſuæ huic inſeruerit hiſtoriæ, dubitare non poſſumus, quin ipſe Spiritus ſanctus per *Moſis*, amanuenſis ſui, miniſterium affirmaverit, hoc *exſpanſum ita prodiiſſe* ex manu Dei, *ac illud* juſſerat prodire; atque *ut ipſe* illud fecerat DEUS. Ut adeo fruſtra ſint, qui putant, *opus* hoc *ſecundi diei* divina carere laudatione, quia non additur a *Moſe*, & *vidit DEUS hoc expanſum, quod eſſet bonum.* Qui enim ſignificantius hoc opus *laudari* potuiſſet, quam qnod infallibilis Spiritus ſanctus per *Moſen* dicat. Atque *erat ita.* Dicit porro *Moſes*:

8.

ויקרא אלהים לרקיע שמים.

Et vocavit DEUS expanſum hoc, cœlum.

Ut DEUS *comm.* 5. *lucem* vocavit *diem*, & *tenebras noctem:* ſic quoque hoc *expanſum* vocavit ipſe *cœlum*. Idque fecit procul omni dubio jure ſuo. Eſt enim opificis, opera ſua diſtinctis nominare nominibus. Hinc Gentium ſapientiſſimi dixerunt, *prima rerum nomina iis indita eſſe ab ipſis Diis*, præſtitiſſet, ſi dixiſſent, *ab ipſo DEO*. Ipſe itaque DEUS, jure ſuo hoc *expanſum*, quod conſtituit inter aquas ſuperiores in nubibus; & inter aquas inferiores, quas ſecundo adhuc die reliquit in terra, *cœlum*. Quod *cœlum inferius* contingit terreſtris materiæ orbem; & ſuperius ſuſtinet aquam in nubibus; quodque cœlum tanquam inferius, vel infimum ipſe DEUS deinde diſtinguit a Cœlis ſuperioribus, in quibus *Sol*, & *Luna*, & *ſtellæ* quarto die collocati ſunt. Conf. *comm.* 14--19. Hinc hæc infima cœli pars (quæ a Philoſophis atmoſphæra Telluris dicitur) manſionem præbet avibus (Conf. *comm.* 20.) & vulgo *cœlum aereum* vocatur.

Hoc

Hoc autem *Expanſi* opere finito dicit *Moſes* ſecundum exſtitiſſe a principio creationis diem. *Fuerat Veſpera*, & *fuerat mane. Dies ſecundus.*

De Operibus III^tii. *Diei Comm.* 9--13.

Tertii diei opus *duplex* fuit. *Primum* erat ſeparatio aquarum ab orbe terrarum, quas collegit DEUS in certa ac definita receptacula: atque *alterum* fuit exornatio terræ per omne genus herbarum, fruticum atque arborum, quas ex terra prodire juſſit DEUS ſingulas cum ſemine ſuo ſpecifico.

9.

ויאמר אלהים יקוו המים מתחת השמים אל מקום אחד.

Et dixit DEUS; Congregentur aquæ ab inferiore parte cœli in locum unum.

Triunus DEUS reliquerat *ſecundo die*, quando magnam admodum aquæ copiam ſubduxit, atque in nubibus collocavit, reliquam aquam, qua terra adhuc macerata erat, & quæ ſuperficiem telluris circumquaque tegebat, in inferiore parte cœli: ſed *ter-*

tio die primum hoc ejus fuit opus, quod efficaciſſimo divinæ voluntatis ſuæ juſſu huic inferiori aquæ ejusmodi impreſſerit motum, quo ſe ſeparavit ab orbe terrarum, & per certos alveos ſe recepit in definitum locum, in quo ſeparatim incepit ſubſiſtere, adeo ut aqua diſtinctum a ſuperficie terræ occupaverit locum. Quare proximus hujus aquarum congregationis effectus fuit, ut arida telluris pars ſupra collectas in certum locum aquas eminuerit, ac conſpicua facta fuerit. Hinc pergit *Moſes:*

ותראה היבשה.

Et videatur aridum.

Et, vel, *ut*, *videatur aridum.* Adhuc terra nondum facta erat arida, ſed manſerat aquis macerata, atque iis circumquaque tecta. Scopus autem DEI in colligendis aquis per alveos in certa receptacula erat, *Ut aridum*, liberatum ab aquis ſuis, fieret aridum, atque *aridam* indueret *ſuperficiem.* Nec fruſtra id infinitæ voluntatis ſuæ efficacia juſſit DEUS. Dicit enim *Moſes:*

ויהי כן.

Et erat ita.

Reſpondit etiam hic effectus quam accuratiſſime & ſcopo DEI, & efficaciſſimo voluntatis ſuæ juſſui. Quare etiam DEUS optimo ſuo jure huic & congregationi aquarum, & arido ſuum impoſuit *nomen.* Sic enim pergit *Moſes.*

10.

ויקרא אלהים ליבשה ארץ ולמקוה המים קרא ימים.

Et vocavit DEUS aridum terram, & congregationem aquarum vocavit maria.

Triunus ipſe DEUS jure ſuo *aridum* vocavit vocabulo hoc Hebræo-Biblico, ארץ, *terram*: quemadmodum & eodem jure ſuo *congregationem aquarum* vocavit ימים, *maria.* Quæ divina Numinis auctoritas *uſum ac notionem Hebræo Biblicam* horum vocabulorum in ſacra Scriptura ſatis confirmat. Idque tanto magis, quia *Moſes* diſerte addit, DEUM non tantum hoc effectum voluntatis ſuæ, quo aridum diſtinctum fuit a congregatione aquarum; ſed ipſam quoque hanc diſtinctam *nomenclationem* aridi, & collectionis aquarum, approbaſſe & laudaſſe. Dicit enim.

וירא אלהים כי טוב.

Et vidit DEUS, quod eſſet bonum.

Triunus DEUS, cum, poſtquam hanc *inter aridum*, & *congregationem aquarum* fecerat *diſtinctionem:* atque *aridum terram;* & *congregationem aquarum* vocaverat *maria*, *ambo hæc* opera ſua, ad examen quaſi revocaret, (ut opifices ſua ſolent opificia) vidit, & expertus quaſi eſt, *utrumque hoc bonum* eſſe, id eſt, ſcopo, atque intentioni ſuæ plane reſpondere, ac ſatisfacere. Sic enim, ut loquitur Salomo *Prov.* VIII. 29. *impoſuit mari ſtatutum ſuum, & aquis, ne transgrediantur mandatum ejus, & ſtatuit terræ fundamenta.*

Tantum de *primo* tertii diei opere, pergit *Moſes* ad *alterum* iſtius tertii diei opus, quod conſtitit in terræ jam arefactæ exornatione per omne genus herbarum, fruticum, plantarum, atque arborum. Dicit enim *Moſes* commate.

II.

ויאמר אלהים תדשא הארץ דשא.

Et dixit DEUS: progerminet terra germen.

Dixit porro DEUS Triunus: Progerminet,

net, id eſt, producat Terra, jam arida facta, atque hinc ab ipſo DEO *terra* dicta, germen. Vocabulum דשא ſignificat in genere omne *vireſcens* germen, quod terram ſua exornat viriditate. Sed hic non ſubſtitit efficaciſſimum hoc DEI Mandatum, quo vocat ea, quæ non ſunt, acſi eſſent, eaque omnia efficaciſſima ſua ſiſtit vocatione, ut terra exornaretur, ac prata & arva lætificarentur viriditate in genere, ſed ut ejus viride germen, prodiens e terra, in ſuas eſſet diſtinctum ſpecies. Hinc hoc DEI mandatum extendit *Moſes* ad varias herbarum & arborum ſpecies. Dicit enim DEUM diſtincte dixiſſe, progerminet Terra.

עשב מזריע זרע.

Herbam ſeminantem ſemen.

Juſſit nempe Triunus DEUS, ut terra produceret præter germen viride in genere, etiam omnem herbam, ſeminantem ſemen, quæ per ſpecificum ſemen ſuam deinde poſſet propagare & multiplicare ſpeciem. Id quod mandatum DEUS porro quoque extendit ad omne genus arborum. Dicit enim *Moſes*, DEUM quoque mandaſſe, ut terra produceret.

עץ פרי עשה פרי למינו אשר זרעו בו על הארץ.

Arborem fructiferam, facientem fructum ſecundum ſpeciem ſuam, in quo & ſemen ſuum in [vel *ſuper*] *terra.*

DEUS ſcilicet Triunus quam efficaciſſime juſſit, ut terra produceret omne omnino genus fructiferarum arborum, quarum ſingulæ ſecundum diſtinctas ſuas ſpecies ſuos ſpeciatim ederent fructus. Quæque omnes & ſingulæ arbores ſuum ſpeciatim in ſe haberent ſemen, ad ſuum in terra, [vel *ſupra* terram] tanquam cauſæ ſecundæ, propagandam & conſervandam ſpeciem. Nec caruit efficaciſſimus hic DEI juſſus ſuo effectu. Dixit enim *Moſes.*

ויהי כן.

Et factum eſt ita.

Terra ſtitit id, quemadmodum id efficaciſſimo ſuo juſſit DEUS mandato. Id quod ſignificavit *Moſes:*

12.

ותוצא הארץ דשא עשב מזריע זרע למינהו ועץ עשה פרי אשר זרעו בו למינהו.

Et Terra prodire fecit germen; herbam ſeminantem ſemen ſecundum ſpeciem ſuam; & arborem fructiferam, in qua eſt ſemen ſuum ſecundum ſpeciem ſuam.

Id quod Terra ad efficaciſſimum DEI mandatum produxit, *non* erat *ante* hunc juſſum DEI in terra; ſed id per hunc juſſum *demum* accepit Terra a DEO, ut ſine ullarum cauſarum ſecundarum interventu, id ad efficaciſſimum hunc DEI juſſum produceret. Hinc dicit *Moſes Gen.* II. 5. 6. de frutice omni agri, quod DEUS eum fecerit ſola voluntatis ſuæ efficacia, *antequam* erat in terra. Hunc vero ita formatum fruticem indidit terræ, ut terra ad efficaciſſimum Dei juſſum eum producendo ederet, vel potius producendo *redderet*, atque ita propagaret, & conſervaret in terra.

Idem quod affirmavit de omni frutice agri, affirmat quoque de omni herba agri, quod DEUS eam fecerit, *antequam* ea progerminaret. DEUS ſcilicet non commiſit terræ horum fruticum & herbarum

ſemen,

ſemen, *ut inde* illi frutices & herbæ orirentur: ſed ipſos illos frutices & herbas, *continentes ſuum in ſe ſemen*, fecit, atque ita indidit terræ, ut ſe ſingulæ *per ſpecificum ſuum* in terra propagarent & conſervarent *ſemen*. Quare addit *Moſes Gen.* II. 5. quod DEUS hoc fruticum atque herbarum creationis diei (qui fuit *tertius dies*) cauſas ſecundas, quæ ad producendum frutices & herbas &c. ex ſuis ſeminibus, ſecundum ordinariam DEI in poſterum requirerentur providentiam, nondum adhibuerat. Jehova enim DEUS tunc *nondum* dimiſerat *pluviam* (quæ in poſterum foret *cauſa ſecunda* ad fœcundandum ſemen, terræ commiſſum) in terram; atque *tertio illo die* nondum quoque erat *homo* (qui in poſterum etiam foret *cauſa ſecunda*, ut ſubigendo terram, ſemen ei commiſſum, iſta ſubactione fœcundaret) qui terram, jam aridam factam, coleret, ac ſubigeret.

Monet tamen *Moſes*, *Gen.* II. 6. futurum tunc fuiſſe, ut DEUS in poſterum, interventu harum cauſarum ſecundarum, ex creatorum fruticum, herbarum, atque arborum ſpecificis ſeminibus, ipſos illos frutices, herbas, atque arbores producat, & propaget. Dicit enim *comm.* 6. *Cap.* II^di.

ואד

ואד יעלה מן הארץ והשקה את כל פני האדמה.

Et [vel *ſed*] *vapor adſcenderet ex terra, & irrigaret omnem terræ ſuperficiem.*

In poſterum ſcilicet, poſtquam DEUS *tertio die* terram ita, ſine interventu cauſarum ſecundarum, ipſis fruticibus, herbis &c. (quarum ſemen ſpecificum erat in ſingulis iis) exornaverat, curaret DEUS, *ut* vapor adſcenderet ex terra; qui in nubibus in aquas converſus, inde iterum deſcenderet ad irrigandum terram, ut terra ſemen, quod ei homines per agriculturam committerent, deſcendente iſta fœcundum deinde redderet aqua: atque terra ita in perpetuum per *cauſas ſecundas*, a DEO, tanquam cauſa prima, in actum deductas, ſecundum naturæ leges fructus ſuos ſuo quovis tempore redderet De hoc vapore ſignificanter dicitur *Job.* XXXVI. 27. Subtrahit [DEUS] guttas aquarum, quæ pluviam poſt vaporem effundunt.

Quia vero *Moſes Gen.* II. 5. a prima fruticum & herbarum productione excluſit, tanquam *cauſam ſecundam*, non tantum *pluviam*; ſed etiam *hominem*, culturum in poſterum terram, huic futuræ pluviæ, quæ

ex

ex vapore naſceretur, atque ad irrigandum terram, in eam deſcenderet, ſtatim ſubjungit creationem hominis, utpote cujus (tanquam *cauſæ ſecundæ*) curæ atque culturæ DEUS terram, ac ſpeciatim hortum ſuum committeret *Gen.* II. 6--15.

Negligi hic non debet *futurum tempus*, יעלה & והשקה. Diſtinguit enim hic, quid DEUS *tertio illo die fecerit* ſine *cauſarum ſecundarum* interventu: produxerat ſcilicet omnem fruticem & herbam agri, continentem in ſe ſemen ſuum, *antequam* erat in terra; *antequam* progerminaret: & quid ordinaria ſua in poſterum faceret providentia: fœcundaret quippe in poſterum DEUS ſemen earum, terræ commiſſum, *per pluviam*, & *per hominum agriculturam*, tanquam *per cauſas ſecundas*, quas DEUS ſua in actum deduceret providentia.

Hoc autem ſuum tertii diei opus DEUS quoque approbavit. Dicit enim *Moſes* de eo

וירא אלהים כי טוב.

Et vidit DEUS, quod eſſet bonum.

DEUS Triunus, examine *quaſi* inſtituto, vidit; & *quaſi* expertus eſt, & arefactionem Terræ, per deductionem aquarum in locum ſuum, & exornationem Terræ per omne genus

genus herbarum, fruticum, plantarum; atque arborum, quam accuratiſſime ſatisfeciſſe ejus intentioni, atque efficaciſſimæ juſſioni.

Redimus *ad contextum Capitis* I^mi. *Geneſ.* Sic enim pergit *Moſes comm.*

13.

ויהי ערב ויהי בקר יום שלישי.

Et fuit Veſpera: & fuit Mane. Dies tertius.

Et fuit Veſpera, prima *diei tertii* pars; & fuit Mane, altera *diei tertii* pars. Atque ita *dies tertius.*

De Opere IV^ti. *Diei Comm.* 14--19.

Quartum diem impendit DEUS productioni *Luminarium*, quibus exornavit cœlum, ad varios terræ, ſuis jam exornatæ plantis atque arboribus, uſum. Dicit enim *Moſes.*

14.

ויאמר אלהים יהי מארת ברקיע השמים.

Et dixit DEUS: ſunto Luminaria in expanſo Cœli.

Juſſit porro Triunus DEUS, ut *in expanſo Cœli* ſe ſiſterent ad efficaciſſimum ſuum juſſum *Luminaria*. Luminare κατ' ἐξοχὴν dicitur corpus, quod ex ſe, tanquam corpus lucidum, lucis ſuæ radios quaquaverſum ſpargit, ad illuminandam ſuam, in qua vel verſatur, vel hæret regionem, (tale Exempli gratia corpus eſt *Sol*) ſed *improprio ſenſu*, uſurpatur quoque de tali corpore, quod propriam quidem non habet lucem, ſed radios, a corpore luminoſo acceptos, *repercutit*, atque repercuſſione illa ſuam quoque *illuminat* regionem. Ita comparata *eſt* *Luna*, quam Cicero ideo dixit *a ſole illuminatam* eſſe.

Ejusmodi autem *Luminaria* juſſit Triunus DEUS ut ſe ſiſterent *in expanſo Cœli*. Vocaverat ipſe DEUS *comm.* 8. *expanſum*, quod fecerat inter terram, aquarum adhuc parte tectam; & nubes, in quas aquarum ſubduxerat partem, שמים, Cœlum: ſed hic vocat *expanſum* ſupra nubes, in quo voluit, ut

ut ad efficaciſſimum voluntatis ſuæ juſſum hæc ſe ſiſterent luminaria, quoque *expanſum Cœli*. Ut adeo Cœlum diſtinguere debeamus in *cœlum inferius*, quod vulgo dicitur *aereum*; & *cœlum ſuperius*, quod *ſtelliferum* dicitur. In hoc itaque ſuperiori cœlo juſſit Triunus Deus, ut hæc ſe ſiſterent *Luminaria*. Additque *Moſes*, DEUM ipſum explicaſſe, *quem in finem* horum luminarium productionem in cœlo juſſerit. Ait enim:

להבריל בין היום ובין הלילה.

Ad diſtinguendum inter diem, atque inter noctem.

Primo die juſſerat DEUS infinita Voluntatis ſuæ efficacia, ut prodiret Lux e tenebris (conf. 2 *Cor.* IV. 6.) ad diſtinguendum *inter tenebras*, quibus omnia in principio erant obſita, atque *inter lucem recens natam:* vocavitque ipſe DEUS hanc recens natam lucem *diem*; & tenebras per vices ſe denuo offerentes, *noctem*. Ad conſtantem autem hujus diei ac noctis viciſſitudinem juſſit nunc *quarto* hoc *die*, ut ſe in expanſo Cœli ſiſterent luminaria. Sic voluit DEUS Solem dare in lucem diei; ac ordinationem Lunæ, & ſtellas in lucem noctis: idque in per-

petuam & conſtantiſſimam ordinationem. Ut loquitur ipſe DEUS *Jer.* XXXI. 35. 36. Intenditque præterea DEUS hac horum Luminarium in expanſo Cœli collocatione, ut tempus, quod eſt certa rerum creatarum durationis menſura, non uno diſtinguant modo. Quare ſic pergit *Moſes*:

והיו לאתת ולמועדים ולימים ושנים.

Atque [*ut*] *ſint in ſigna, & in ſtatuta tempora, & in dies, & annos.*

Atque ut ſint illa *Luminaria*, in expanſo Cœli efficaciſſimo DEI juſſu collocata, in *ſigna*, non *aſtrologica*, horum enim obſervationem DEUS quam ſeveriſſime prohibuit; ſed *aſtronomica*, quæ ſunt conſtantiſſimi ordinis, ac certiſſimas ſequuntur leges, ac tempeſtatis indicant vices, *Gen.* VIII. 22. Intenditque porro DEUS hac horum Luminarium in expanſo cœli collocatione, ut illa ſint למועדים in *ſtatuta tempora*, ut ſcilicet diſtinguant quatuor anni cardines: Autumnum; Hyemem; Ver; & Æſtatem: atque ut ſingulis hisce in anni partibus diſtinguerent menſes, quibus conſtat integra anni convolutio. Nec videtur a *Moſis* in hac Creationis Hiſtoria inſtituto alienum, quod in hoc vocabulo, מועדים, quoque re-

reſpexerit ad omnia illa *tempora ſtatuta*: quæ juſſu DEI ad peragenda in Iſraele *ſacra* inſtituit. Scripſit enim hanc creationis Hiſtoriam, poſtquam univerſum Tabernaculi cultum inſtituerat. Atque ita monet lectorem ſuum, DEUM in productione horum *Luminarium* jam intendiſſe, ut Iſraeli in obſervandis ſuis *ſtatutis diebus* hæc etiam inſervirent *Luminaria*. Ad horum enim, ac inter ea ad *Lunæ* in primis motum *ſtatuta* hæc ſecundum legem obſervare debuerunt *tempora*. Sic ſolet DEUS in antecedentibus ſuis operibus ad longe poſteriora ſæpe reſpicere. Quare dicit *Moſes Deut.* XXXII. 8. Cum DEUS inter populos hæreditatem diſtribueret, cum Adami filios a ſe invicem divideret, conſtituit terminos populorum, ſecundum numerum filiorum Iſrael.

Subjungit, DEUM hac horum Luminarium collocatione in cœlo quoque intendiſſe, ut eſſent *in dies* & *annos*. In dies motu *ſuo diurno*, [vel *telluris* diurno motu ſecundum Copernicanam Hypotheſin] atque in annos *annuo ſuo* [vel ſecundum idem Copernici Syſtema annuo terræ] motu; atque ut dies & annos, ſecundum legem, *ſacros*, a vulgaribus diſtinguerent diebus & annis.

15.

והיו למארת ברקיע השמים להאיר על הארץ.

Ut ſint in luminaria in expanſo cœli, ad illuminandum ſupra terram.

Ut illa luminaria, quibus Triunus DEUS efficaciſſima voluntatis ſuæ juſſione mandaverat, ut ſe in expanſo cœli ſiſterent, *ibi*, in illo ſcilicet Cœli expanſo eſſent perpetuo in luminaria: quæ vel propriis ſuis radiis (ut Sol) vel radiorum aliunde (a Sole) acceptorum repercuſſione (ut Luna & Planetæ) per ſtatas ſuas vices telluris ſuperficiem, & quæ in ea eſſent, illuminarent. Conf. *Jer.* XXXI. 35.

ויהי כן.

Et erat ita.

Dictum factum. *Vocavit*, vel, *evocavit* Triunus DEUS *hæc luminaria, acſi eſſent*, (*Rom.* IV. 17.) ut ad perpetuum hunc uſum eſſent in expanſo Cœli, ad illuminandam ſcilicet terræ ſuperficiem. *Jer.* XXXI. 35. 36.

16.

ויעש אלהים את שני המארת הגדלים.

Et fecit DEUS duo magna luminaria.

Hæc duo luminaria paſſim in Scriptura ſacra vocantur *Sol* & *Luna*: diſtinguunturque in ea a *ſtellis*. *Deut.* IV. 19. *Pſalm.* CIV. 19. CXXXVI. 7---9. *Jer.* XXXI. 35. Suntque revera *reſpectu terræ*, cujus ſuperficiem ex DEI ordinatione & intentione illuminare debent (vide *comm. hujus Cap.* proxime præcedens 15.) *Sol* & *Luna luminaria Magna*, cum quorum illuminatione, *lumen ſtellarum*, ex terra conſpectarum, comparari neutiquam poteſt. Hinc ſtellæ *Luna* minores vulgo dici ſolent.

De his majoribus luminaribus *Sole* & *Luna* (idem mox de ſtellis affirmaturus) dicit *Moſes*, quod Triunus DEUS hæc *fecerit*, atque faciendo collocaverit in expanſo cœli.

Eodem ſcilicet modo, ac de omni frutice & herba dixit *Gen.* II. 5. 6. DEUM eas *feciſſe*, *antequam* erant in terra, atque eas *ita*, ſine interventu cauſarum ſecundarum, collocaſſe in terra, ut deinde, interventu cauſarum ſecundarum, ſe ſingulæ, ex ſemine ſuo ſpecifico, ſecundum ſpecies ſuas propa-

garent: ſic docet hic *Moſes*, DEUM hæc *duo magna luminaria* quoque ſine interventu cauſarum ſecundarum *feciſſe*; atque ea *ita* faciendo collocaſſe in expanſo cœli, ut ibi ab illo tempore, tanquam *cauſæ ſecundæ*, *ſecundum leges naturæ*, ſuo in perpetuum fungerentur munere, *ad quod* ea fecerat, atque in expanſo Cœli collocaverat DEUS.

Habuit præterea *Moſes* rationes graviſſimas, cur hic narrationi *Solis*, *Lunæ*, & *ſtellarum* inferat verbum, עשה, *facere*, vel *fecit*. Obtinuit enim & *Moſis* tempore & longe ante, ut Gentes *Solem* & *Lunam* & *Stellas* pro Diis haberent, quos religioſo proſequebantur cultu: a qua ſuperſtitione & Idololatria Iſraelem, nomine DEI, vehementer dehortatus eſt *Deut.* IV. 19. dicens: cavete ne attolatis oculos veſtros in cœlum, ac intueamini *Solem*, & *Lunam*, & *Stellas*, integrum Cœli exercitum, atque inducamini, ut *incurvetis vos* coram iis, *eosque colatis.*

Voluit itaque ipſa hac in Creationis Cœli & terræ narratione eos docere *Moſes*, tantum abeſſe, ut *Sol*, *Luna* & *Stellæ* ſint *Numina veneranda*, ut non tantum in genere recenſeantur *inter facturas* atque *opificia* DEI, quæ *fecit* DEUS: ſed ut non ſint vel *primi*; vel *ſecundi*; vel *tertii dici opera*, ſed demum *quarti*: atque, ut a DEO

DEO creati ſint in miniſterium ipſarum herbarum, fruticum, atque arborum, ut fructus earum ab his ipſis luminaribus inter alia, tanquam *cauſis ſecundis*, *ſuam*, *in uſum hominum*, accipiant maturitatem. Atque ita monet *Moſes* Iſraelem per hæc verba [Et *fecit* DEUS *hæc duo magna Luminaria*, & *Stellas*] abominandum atque exſecrandum plane eſſe peccatum, ſi homo *illa luminaria*, quæ DEUS *in miniſterium ipſorum hominum fecit*, adoret, ac religioſo proſequatur cultu. Confer. *Rom.* I. 25. *Commutarunt veritatem DEI cum mendacio*; & *coluerunt creaturam eique ſervierunt præ Creatore, qui celebrandus eſt in æternum.*

Quare etiam *Moſes* de his Luminaribus diſtincte ita pergit:

את המאור הגדל לממשלת היום.

Luminare Magnum in dominium dici.

Loquitur *Moſes* de *Sole*, qui revera & mole ſua, & luce ſua eſt *luminare magnum:* præcipue reſpectu eorum, qui *in terra* inhabitant, ad illuminandum hanc terram. Id quod *Sol* in primis facit *diurno tempore*, quare ei hic tribuitur *dominium diei.* Hujus enim facit initium ortu ſuo, quemadmodum occaſu ſuo ejus facit finem, *Pſalm.*

CIV. 19. moderaturque illo temporis ſpatio omnes diei viciſſitudines. Additque *Moſes:*

ואת המאור הקטן לממשלת הלילה.

Et luminare parvum in dominium noctis.

Vocat *Lunam luminare parvum.* Eſt enim *Luna*, ſi comparetur cum *Sole*, revera & mole ſua, & luminis, quod a ſole accipit, repercuſſione *luminare*, quod *ſole longe minus* eſt. Sed ſi comparetur cum *ſtellis*, quæ ex terra conſpiciuntur, apparent illæ omnes iis, qui eas ex terra conſpiciunt, longe *minores* quam *Luna.* Quare *Moſes Lunam* hoc eodem *Comm.* quoque vocavit *luminare magnum.* Hanc vero *Lunam*, quæ incolis terræ minus quidem luminare eſt quam *Sol*, licet reſpectu terræ omnibus *Stellis* longe majus ſit luminare, dedit Triunus DEUS *in dominium noctis. Interdiu* quamvis aliquando videatur *Luna*, lumine tamen ſuo non *illuminat* terram, hoc demum facere incipit, *ubi occidit Sol.* Sed nocturno tempore tantum lumine ſuo, quod a ſole acceptum repercutit, magis magisque ſecundum ſuas, quas ſubit viciſſitudines, illuminat terram. Atque ideo dicitur DEUS eam dediſſe *in dominium, non diei, ſed noctis.*

Hoc

Hoc autem *dominium noctis* quoque tribuitur *Stellis* promiſcue omnibus. Quare addit *Moſes*:

ואת הכוכבים.

Et ſtellas.

Loquitur *Moſes de ſtellis* promiſcue *Omnibus*, quæ paſſim in Scriptura ſacra dicuntur exercitus Cœli. *Deut.* IV. 19. Subſiſtere itaque hic non debemus in *planetis*, quos *Aſtronomi* in hac regione cœli, cujus centrum, ſecundum ſyſtema Copernicanum, ſtatuunt Solem, atque in qua & noſtra verſatur *Tellus*, diſtinguere ſolent; quippe in ea certo ac definito dierum, hebdomadum, menſium, atque annorum ſpatio orbes ſuos conficere ſolent: ſed univerſum omnium omnino conſpectum nocturnum ſtellarum a *Moſe* hic exhiberi, credere debemus, tanquam quibus DEUS *dominium noctis* non minus attribuit quam *Lunæ.*

Videtur *Moſes* hic de ſtellis loqui tanquam in tranſitu: ratio eſt, quia eas conſiderat ratione illuminationis terræ, ad quam illæ omnes longe minus ex DEI intentione conferunt lucis, quam *Sol* interdiu, ac *Luna* noctu. Interdiu enim non conſpiciuntur, quia ſcintillationes earum a lumine ſolis quaſi abſorbentur plane, ac

noctu, quamvis cœlum, ubi ſerenum eſt, ſuis ſcintillationibus valde exornent, non tamen omnes tantum luminis cum terra communicant, ac *Luna* repercuſſis ſuis radiis eam illuminare ſolet. Hinc quidem ſtellæ promiſcue omnes partem habent in dominio noctis, ſed primas tamen in eo partes *Lunæ* cedere debent. Id quod de planetis in noſtra Cœli, in qua etiam noſtra verſatur Tellus, regione mirum non eſt, cum æque ſint corpora *opaca*, ac eſt *Luna*. Sed ad ſtellas per univerſum Cœli expanſum quaſi ſparſas, quas Aſtronomi *fixas* vocare ſolent, quod attinet, alia longe minoris earum lucis in tellure dari debet ratio.

Volunt enim *Aſtronomi*, eas ſingulas in cœleſtibus ſuis regionibus eſſe *ſoles*, propria ſua lucentes luce, interque eas quasdam dari, quæ noſtro ſole non ſunt minores. Ratio itaque, quod tellurem *minus* illuminent quam *Sol*, & *Luna*, derivari neutiquam debet vel ab opacitate, vel minori luce earum, ſed quod per immenſum ejusmodi ſpatium a nobis remotiſſimæ ſint, ut noſtro ſe conſpectui tantum exhibeant, acſi tenues admodum eſſent flammulæ; quæ ſcintillationibus ſuis, vividam quidem, ſed exiguam tamen valde ſpargunt lucem.

17.

ויהן אתם אלהים ברקיע השמים להאיר על
הארץ.

Et poſuit ea DEUS in expanſo Cœli ad lucem præbendum ſupra terram.

Triunus DEUS poſuit hæc luminaria, ea faciendo, in expanſo Cœli, ſingulis iis ſuum aſſignans in expanſo Cœli locum, atque ordinem, quem quam conſtantiſſime in eo obſervare debuerunt (Conf. *Jer.* XXXI. 35. 36.) idque, ut omnia & ſingula, ſuis illuminarent vicibus terram, *ſolem* ſcilicet *diurno*, ac *lunam cum ſtellis nocturno* tempore.

18.

ולמשל ביום ובלילה ולהבדיל בין האור ובין
החשך.

Et ad dominandum in diem atque in noctem: & ad diſtinguendum inter lucem, atque inter tenebras.

DEUS Triunus collocavit quoque hæc luminaria, in ſuis ſingula cœleſtis expanſi locis

locis & ſedibus, ut *dominaretur Sol in diem*, cujus initium ortu, & cujus finem faceret occaſu ſuo, omnesque ejus præterea moderans intermedios articulos: atque ut *Luna cum ſtellis dominaretur in noctem*, utpote quæ interdiu non lucent, ſed noctem pro tempeſtatis, ac conſpectus *Lunæ* præſertim faciei varietate, variis illuminare ac moderari ſolent modis. Collocavitque præterea Triunus DEUS ea ſingula ſuis in expanſo Cœli locis, ut *diſtinguerent*, id eſt, facerent, ut daretur *diſtinctio* inter lucem, quam vocavit diem *Comm.* 5. *hujus capitis*, cujus diurnæ lucis cauſa ſolus *Sol* eſt: atque inter tenebras, quas Deus *Comm.* 5. *hujus Cap.* vocavit noctem, cujus noctis viciſſitudines a majore vel minore *Lunæ* ac *Stellarum* illuminatione multum variare ſolent.

וירא אלהים כי טוב.

Et vidit DEUS, quod eſſet bonum.

Triunus DEUS ad examen quaſi revocans hoc opificium ſuum, creationem & factionem horum luminarium; eorumque collocationem in expanſo Cœli; ut & uſum, in quem ea fecit, & in expanſo cœli collocavit: vidit hæc omnia bona eſſe, & ſatisfa-

facere intentioni ſuæ ac ſcopo, quem ſibi in his omnibus præfixerat. Atque ita opus quarti diei a DEO perfectionem accepit ſuam. Quare ſubjungit *Moſes:*

19.

ויהי ערב ויהי בקר יום רביעי.

Et fuit veſpera & fuit mane, Dies quartus.

Veſpera ſcilicet quarti diei, quæ erat noctis ejus initium cum ſequenti nocte ſua; & mane quarti diei, quod erat principium iſtius diei cum inſequente ſuo die, conficiebant *quartum creationis diem.*

De Operibus V^ti^. *Diei Comm.* 20--23.

Quinti diei opus videtur quoque duplex fuiſſe. Videtur enim DEUS hoc die prius in aquis produxiſſe *omne genus piſcium:* atque in expanſum cœli deinde quoque emiſiſſe *omne volucrium genus.* *Moſes* dicit:

20.

ויאמר אלהים ישרצו המים שרץ נפש חיה.

Et dixit DEUS: reptent aquæ [per] *reptatum animarum viventium.*

Loquitur hic *Moſes* de *piſcibus Maris*, & *fluviorum*; hoc enim nomine *comm.* 10. vocaverat receptacula, in quæ DEUS congregaverat *tertio die* aquas, quæ in diem illum tertium uſque adhuc maceraverant & texerant terram. Hos piſces vocat נפש חיה, *animantia viva*, quia per reciprocationem, & circulationem interiorum humorum per vaſa eorum corporea vivunt, & actuoſi ſunt. Significat enim vocabulum נפש reciprocationem, atque uſurpatur de animalibus promiſcue omnibus propter reciprocationem aeris, & interiorum humorum motus: ac de hominibus præterea ob reciprocationem cogitationum. Hiſce Piſcibus tribuit שרץ, *reptatum.* Cum enim tantum non omnes careant pedibus, hinc eorum motus, quo ſe per aquas movent, potius *reptatus*, quam *ambulationis* habet rationem. Uſurpatur quidem quibusdam in locis ſacræ Scripturæ hoc vocabulum de animantibus quoque terreſtribus, quæ *repunt* per terram: uſurpatur tamen lon-

longe frequentius de animalibus aquatilibus: quemadmodum e contrario hujus vocabuli, שרץ, ſynonymum vocabulum, רמש, de terreſtribus animantibus repentibus per terram, quam de piſcibus reptantibus per aquas frequentius uſurpatur.

Hi piſces, ſimulac per creationem ſiſtebantur, *reptabant*: quo *reptatu* non tantum *vitam ſuam*, & actuoſitatem vitalem indicabant; ſed *aquas* quoque ipſas, in quas ipſa hac ſui quoque creatione immittebantur, *reptabant*, & agitabant, ut ſe *ad reptatum* hunc *piſcium* commoverent Conf. *Pſalm.* CIV. 25. 26.

Significat ſcilicet hic *Moſes*, piſces non *ex aquis productos* eſſe: ſed DEUM piſces, quos fecerat, *antequam* in aquis erant, immiſiſſe in aquas, ut in iis ſinguli ſuam propagarent ſpeciem, atque ſuo reptatu reptantem illam in iis efficerent commotionem. Eodem ſcilicet modo, ac dixit *Moſes Gen.* II. 5. DEUM feciſſe omnem fruticem agri *antequam erat* in terra, atque omnem herbam agri *antequam germinaret*: ſic quoque DEUS creavit piſces *antequam erant* in aquis. Immiſit vero hos piſces in aquas, ut in iis reptatent, ac ſuo reptatu motum quoque reptantem in iis excitarent aquis.

Atque ita de piſcibus in genere docet

Moſes,

Moſes, quod DEUS eos omnes & ſingulos ſecundum ſuas ſpecies, *ſine interventu ullarum cauſarum ſecundarum*, ſola infinita voluntatis ſuæ efficacia, *produxerit* : atque in aquas, tanquam locum reptatus, ac propagationis ſuæ immiſerit. Id quod dixit *Moſes* de piſcium creatione, de avium quoque non minus diſtincte tradidit productione, quod ſcilicet & hæ primitus ſine interventu cauſarum ſecundarum creatæ ſint. Pergit enim.

ועוף יעופף על הארץ על פני רקיע השמים.

Et volucria evolent ſupra terram verſus ſuperficiem expanſi Cœli.

Triunus DEUS per infinitum voluntatis ſuæ juſſum volucria ita produxit, ut ex ejus manu volantia ſtatim prodirent. Dixit enim (vocans ea quæ non ſunt, acſi eſſent *Rom.* IV. 17.) non, *fiant volucria*; ſed *evolent volucria ſupra terram* in expanſum Cœli, verſus ejus ſuperficiem. Vidimus ad *Comm.* 8. DEUM ipſum hoc expanſum, quod fecit inter aquas inferiores, tum temporis adhuc macerantes & tegentes terram, & inter aquas ſuperiores, quas ligavit in nubibus ſuis, vocaſſe, שמים, Cœlum. Quod expanſum inferius cum expanſo ſuperiori, in

in quo DEUS quarto die *Solem*, *Lunam*, & *Stellas* collocavit, confundere neutiquam debemus. Præbet enim ſolum illud inferius Cœli expanſum volucribus in atmoſphera noſtra ſuam manſionem.

Dedit itaque Triunus DEUS volucribus, quæ itidem ſine ullarum cauſarum ſecundarum interventu creavit, ſuam *in hoc aereo Cœli expanſo*, ut in eo evolarent, regionem. Unde & *aves cœli* vocari ſolent.

Hæc ubi generatim præmiſerat *Moſes* de *piſcibus*, & *avibus*, magis ſpeciatim eorum deſcripſit creationem. Dicit enim

21.

ויברא אלהים את התנינם הגדלים.

Et creavit DEUS magnos cetos.

Triunus DEUS produxit infinita voluntatis ſuæ efficacia ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu (hæc enim eſt vera & genuina verbi ברא notio. Vid. ſupra *pag.* 9. 10.) magnos *Thanninim*. Videtur hoc vocabulum תנין in lingua Hebræo Biblica uſurpari de omnibus *promiſcue* animalibus, quæ ſua ſe diſtinguunt magnitudine, & longitudine; ac terrorem in-

cutiunt. Hic ſane ſatis liquet, *Moſen* per hos *Thanninim* non terreſtria, ſed *aquatilia* ſignificaſſe animalia, quæ a reliquis ſua magnitudine diſtincta ſunt piſcibus. Inter hos magnos valde piſces recenſet Pſaltes *Pſalm.* CIV. 26. *Leviathanem* (qui *Job.* XL. XLI. ab ipſo per omnia ſua membra deſcribitur DEO) *Ibi*, nempe *in mari* magno atque ampliſſimo, inquit Pſaltes, ambulant naves, & *Leviathan*, quem tu formaſti, ut in eo ludat. Conf. *Pſalm.* VIII. 9.

Præter hos autem piſces, qui magnitudine & longitudine ſua a reliquis diſtincti ſunt piſcibus, creavit quoque reliquos omnis generis piſces. Pergit enim *Moſes*:

ואת כל נפש החיה הרמשת אשר שרצו המים למינהם.

Et omne animal vivens reptans, quæ reptarunt aquas, ſecundum eorum ſpeciem.

Debet hoc ויברא אלהים, & *creavit DEUS*, hic non minus *referri* ad minores hoſce piſces, quam ad illos התנינם, majores & longiores piſces, de quibus hoc eodem in commate agitur, *relatum eſt.* Atque ita ſignificatur, omnes & ſingulos piſces, ne minimis quidem piſciculis exceptis, a DEO per infinitam voluntatis ſuæ efficaciam, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, creatos eſſe, ac ea Maximi piſces creati ſunt: ut & eos per creationem in aquas immiſſos, ac in illis collocatos *reptatu ſuo* ipſas illas, in quibus per creationem ſui collocabantur, *reptaſſe aquas:* eosque omnes & ſingulos ſua ſpeciatim ſpecie a ſe invicem diſtinctos fuiſſe.

Id quod dixit *Moſes* de piſcibus promiſcue omnibus, affirmat quoque de avibus. Pergit enim.

ואת כל עוף כנף למינהו.

Et omnem alatam volucrem ſecundum ſpeciem ſuam.

Debet etiam hic illud ויברא אלהים, & *creavit DEUS*, *referri* ad aves, atque ſignificatur, aves omnes & ſingulas non minus, a DEO infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, creatas eſſe, ac piſces ita creati ſunt: easque hac ſui creatione ſine mora ſtatim evolaſſe ſupra terram verſus expanſum cœli: ac ſingulas, per ſingularem ſuam, a ſe invicem diſtinctas eſſe, ſpeciem.

Eratque duplex hoc quinti diei opus bonum. Dicit enim de eo;

וירא אלהים כי טוב.

Et vidit DEUS, quod bonum eſſet.

Triunus DEUS ad examen *quaſi* revocans duplex ſuum *quinti diei opus*, creationem ſcilicet piſcium in aquis; & avium in expanſo cœli, vidit, & *quaſi* expertus eſt, quod utrumque hoc opus eſſet bonum, id eſt, quod illud cum propoſito, atque ſcopo ſuo quam perfectiſſime conveniret, atque ei quam pleniſſime ſatisfaceret.

Quemadmodum autem DEUS omnes priores creaturas non tantum infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, creaverat; ſed eas etiam ea inſtruxerat virtute, ut deinde, tanquam *cauſæ ſecundæ*, ſe ſecundum ſpeciem ſuam vel propagarent, vel ſuo ſaltem in rerum natura ſibi mandato fungerentur munere: ſic quoque DEUS hos piſces in aquis; & aves in expanſo cœli, non tantum infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, creavit; ſed eos etiam conſtituit, ut piſces in aquis, & aves ſupra terram, tanquam *cauſæ ſecundæ*, ſuum quoque genus omnes & ſinguli, ſecundum ſuam ſpeciem, propagarent, & multiplicarent. Quare ſic pergit *Moſes*:

22.

ויברך אתם אלהים לאמר.

Et benedixit iis DEUS, dicendo.

DEI benedicere ſemper eſt *cum effectu.* Confert enim quam efficaciſſime in eum, cui benedicit, id quod eſt benedictionis ſuæ argumentum. Hic vero benedixit DEUS piſcibus in aquis; & avibus ſupra terram, id eſt, contulit in eos quam efficaciſſime virtutem, ſe ſecundum ſpecies ſuas ſpeciatim propagandi & multiplicandi: atque ita eos divina hæc ſua benedictione conſtituit omnes & ſingulos *cauſas ſecundas*, per quas decrevit piſces in aquis, & aves ſupra terram ſingulos ſecundum ſpecies ſuas conſervare, ne ulla eorum ſpecies intereat, aut extinguatur. Argumentum enim divinæ hujus benedictionis, qua DEUS benedixit piſcibus & avibus, ſe habet ſecundum *Moſen* ita.

פרו ורבו ומלאו את המים בימים.

Fructus ferte, & multiplicamini, & replete aquas in Maribus.

Uſurpatur verbum פרה (quod *a vocabulo*, פרי, *fructus*, derivatum eſt) de omni productione fructus vel proventus, qui producitur, vel naſcitur; & prodit ex alio ſecundum ejus ſingularem ſpeciem. Atque ita non tantum uſurpatur de ortu fructuum terræ; ſed etiam de fœtificatione animantium, eſt enim fœtus fructus ventris eorum. Dixit itaque Triunus DEUS, ut, ad efficaciſſimum voluntatis ſuæ juſſum, Piſces propagent genus ſuum; ac ſinguli ſecundum ſpeciem ſuam producant multiplicem fœtum. Voluitque, ut ſinguli ita ſuum valde multiplicarent genus; atque ut aquas marium multiplici propagine ſua implerent.

Vocavit DEUS *receptacula illa*, in quæ deduxit *tertio die* aquas illas, quibus terra per duos primos dies adhuc macerata, ac tecta fuit, *Maria*; quæ *Maria* itaque non tantum *Mare illud magnum*, atque ſinus ejus majores, ſed etiam fluvios piſciferos omnes complectuntur.

Hæc *Maria* & hos fluvios debuerunt itaque

que Piſces, a DEO, ſine interventu cauſarum ſecundarum, creati, deinde, ut *cauſæ ſecundæ implere*, ut iis ſemper ac perpetuo abundarent aquæ marium, ac fluviorum.

Quemadmodum vero hæc divina benedictio hunc in piſcibus habuit effectum, ut fuerint per fœcunditatem *multiplicati*, atque impleverint aquas marium: ſic quoque eadem illa benedictio effecit, ut aves ſecundum ſuas ſint multiplicatæ ſpecies. De iis enim addit *Moſes:*

והעוף ירב בארץ.

Et Volucre multiplicetur ſupra terram.

Dixerat Triunus DEUS *Comm.* 20. *Et volet volucre*, id eſt, *volent omnis generis volucria ſupra terram in expanſo cœli.* Sic volucria, ſine interventu cauſarum ſecundarum, a DEO creata, ſtatim evolabant, *quaſi* ex manu creantis DEI, *per aerem in expanſo cœli:* quemadmodum & piſces, ſine interventu cauſarum ſecundarum, producti ſtatim *reptatu ſuo reptatum* excitabant in aquis. Benedixeratque *comm.* 22. avibus non minus, quam piſcibus. Hinc quoque in iis divina hæc benedictio non minus, quam in piſcibus hunc habuit effectum, ut

ſingulæ ſecundum ſingularem ſuam ſpeciem ſupra terram multiplicatæ ſint.

His autem duobus operibus *quinto* productis *die*, *quintus* a prima creatione *dies* habuit ſuam conſummationem. Dicit enim *Moſes*.

23.

ויהי ערב ויהי בקר יום חמישי.

Et fuit Veſpera, & fuit Mane. Dies quintus.

Et fuit Veſpera cum ſua nocte, quæ principium faciebat diei quinti; & Mane cum ſuo die, qui finem imponebat quinto dici: atque ſic lapſus erat *quintus* a prima rerum creatione *dies*.

De Operibus VI^ti. *Diei Comm.* 24--31.

Opus *Sexti Diei* conſiderari poteſt, ac debet ut *duplex opus*. Cujus *primum* fuit *creatio omnium* omnino *animantium terreſtrium*, quæ ab homine diſtincta & diverſa ſunt: *alterum* autem ejus opus fuit ipſius *hominis Creatio*.

De primo illo ſexti diei opere dicit *Moſes*.

24.

ויאמר אלהים תוצא הארץ נפש חיה למינה.

Et dixit DEUS: Producat terra animantia viva ſecundum ſpeciem ſuam.

Et dixit Triunus DEUS efficaciſſimo divinæ voluntatis ſuæ juſſu, ut *terra*, id eſt *aridum*, (quod Deus tertio die ſeparaverat, ab aquis, quibus ad illum diem uſque, tectum ac maceratum fuerat, & quod DEUS ipſe vocavit ארץ, *terram*) produceret, id eſt, ut prodiret ex ea *omne animans brutum*: quod, ut ut ab homine, tanquam creatura rationali, diſtinctum ac diverſum, per reciprocationem aeris, & per interiorem tamen humorum vitalium per arterias, venas, & nervos motum viveret, ſecundum ſpeciem ſuam: utque omnia illa bruta animantia diſtinctam ſuam inter ſe haberent ſpeciem; quamque ſingula per naturalem deinde propagarent, ac in terra conſervarent generationem.

Hæc autem animantia bruta diſtinguit Generaliori diſtinctione in tria genera, quæ ſuas ſingula ſub ſe haberent diſtinctas ſpecies. Sic enim pergit *Moſes*:

בהמה ורמש וחיתו ארץ למינה׃

Jumentum, & reptile, & beſtiam agri ſecundum ſpeciem ſuam.

Primo loco collocat *Moſes*, בהמה. Quod vocabulum, ubi ſolum occurrit in ſacra Scriptura, non videtur *uſu ſuo* multum differre a חיה; verum ubi conjunguntur hæc duo vocabula, exigit ſapientia divina Spiritus ſancti, loquentis per Scriptores ſacros in ſacra Scriptura, ut illa diſtinguamus vocabula: atque tunc ſignificat vocabulum בהמה jumentum, *animal Cicur*, quod hominis imperio magis ſubeſt, quam illud animal, quod tali in concurſu horum vocabulorum dicitur חיה. Hoc enim in ejusmodi horum vocabulorum conſtructione de *feris* uſurpatur *animalibus*, quæ *beſtiæ* vocari ſolent.

Duobus hisce brutorum animantium generibus interſerit hic *Moſes*, animantia, quorum genus hic diſtinguitur per vocabulum רמש. Quod vocabulum proprie ſignificat *reptatum*, vel *reptationem*, quod rarius quidem de piſcibus quoque, ſed frequentius longe de *repentibus ſupra terram* uſurpatur animalibus. Conſer. quæ ad *Comm.* 20. 21. *hujus Cap.* diximus.

Dictum,

Dictum factum. *Deus loquitur, & eſt: præcipit, & exiſtit.* Dicit enim *Moſes*:

ויהי כן׃

Et fuit ita.

Prodiit ſcilicet ad efficaciſſimum divinæ voluntatis juſſum omne genus *jumentorum*, & *repentium animantium*, & *beſtiarum agreſtium* ac *ſylveſtrium* ex terra. Id quod ita tamen contigit, ut ipſe DEUS tanquam *cauſa prima*, ſine interventu cauſarum ſecundarum, omne hoc genus jumentorum, beſtiarum, ac repentium animantium fecerit; atque ita a ſe productum ex terra fecerit prodire, quemadmodum ad *Comm.* 11. 12. Coll. cum *Cap.* II. 5. de fruticibus & herbis; & de piſcibus & avibus ad *Comm.* 20. 21. vidimus, factum fuiſſe. Quare etiam *Moſes* de omnium horum animantium brutorum, ſecundum ſuam diſtinctorum ſpeciem, genere affirmat, quod ipſe DEUS hæc fecerit. Dicit enim:

ויעש

25.

ויעש אלהים את חית הארץ למינה ואת הבהמה למינה ואת כל רמש האדמה למינהו.

Et fecit DEUS beſtiam terræ ſecundum ſpeciem ſuam; & jumentum ſecundum ſpeciem ſuam; & omne reptans terræ ſecundum ſpeciem ſuam.

Triunus DEUS fecit, ut cauſa prima, ſine interventu cauſarum ſecundarum, omne genus beſtiarum ſylveſtrium, atque iis omnibus & ſingulis dedit ſingularem ac ſpecificam ſuam ſpeciem, ut eam, per *generationem naturalem*, tanquam *cauſæ ſecundæ* propagarent: fecitque eodem modo, ut *cauſa prima* ſine interventu *cauſarum ſecundarum* omne genus *jumentorum*; ac dedit iis omnibus & ſingulis ſuam quoque ſpeciem, quam ut *cauſæ ſecundæ* per *generationem naturalem* propagare debuerunt: Id quod etiam de *animalibus repentibus* ſupra terram ita eſt accipiendum, quod ſcilicet DEUS, ſine *cauſarum ſecundarum* interventu ea fecerit; atque iis omnibus & ſingulis ſuam ſpeciatim dederit ſingularem ſpeciem, quam etiam ipſa per *generationem naturalem*, tanquam *cauſæ ſecundæ* propagare,

gare, & conſervare debuerunt. Nulla enim, (ut recte obſervant ſapientiores Phyſici) ſecundum ordinariam DEI providentiam datur animantium, etiam abjectiſſimorum, ſine ſpecificæ ſeminationis interventu, productio.

Cum autem DEUS hæc omnia ita producta, Opificis *quaſi* inſtar, examinaret, animadvertit, ea omnia & ſingula ſuo ſatisfeciſſe ſcopo & juſſui. Quare addit *Moſes*:

וירא אלהים כי טוב.

Et vidit DEUS, quod eſſet bonum.

Quam perfectiſſime ſcilicet hæc creatio omnis generis brutorum animantium ita reſpondit ſcopo atque intentioni DEI creantis, per efficaciſſimam Dei juſſionem, ut in nullis eorum aliquis exiſteret defectus: ſed ut illa omnia & ſingula quam perfectiſſime poſſiderent omne id, quod DEUS juſſerat, ut in iis haberet locum.

Tantum de creatione brutorum animantium, ſed pergit hinc *Moſes* ad creationem hominis. Dicit enim *Comm.*

26.

ויאמר אלהים נעשה אדם בצלמנו כדמותנו

Et dixit DEUS: Faciamus hominem cum Imagine noſtra, propter ſimilitudinem noſtram.

Moſes narrat, Triunum DEUM tandem acceſſiſſe ad hominis (id quod *ſecundum*, ac princeps & primarium *ſexti diei* fuit opus) creaturæ rationalis, creationem.

Vocabulum אדם, ADAM, de cujus ſubjecti creatione DEUS hic, quaſi deliberando loquens inducitur, debet hic *collective* accipi, ut ſignificet *univerſum genus humanum.* Quemadmodum enim nomina omnium animantium, quæ DEUS antea produxerat, nomina ſunt *collectiva:* quare omnes illæ res ita hac in *Moſis* hiſtoria conſideratæ fuerunt tanquam quæ ſingulæ ſuas, ut *cauſæ ſecundæ ſecundum leges naturæ*, deinde propagarent ſpecies: ſic quoque hoc nomen, אדם, ADAM, hic *collective* ſumtum, docet, DEUM ſe hoc ipſo temporis articulo accinxiſſe, ut *univerſum genus humanum* infinita ſuæ voluntatis divinæ efficacia, absque ullo cauſarum ſecundarum interventu, produceret *in hoc primo homine;* eumque inſtrueret facultate, qua tanquam *cauſa ſecunda* per generationem naturalem, ſub DEI ordinaria providentia, genus ſuum deinde propagaret; atque ea propagatione terram impleret.

Hinc dixit Paulus *Act.* XVII. 26. DEUM *ex uno ſanguine univerſum feciſſe genus humanum, ut in univerſo inhabitaret terrarum orbe, definitis temporibus, & terminis habitationis eorum.* Mirari ſane neutiquam poſſumus, qui acciderit, ut hoc nomen *collectivum*, אדם, ADAM, (quod univerſum hic ſignificat genus humanum, quod DEUS nunc in hoc primo, tanquam radice generis humani, infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ulla *cauſarum ſecundarum* interventu faceret) factum ſit *primi* hujus *hominis nomen proprium:* quia, ſimulac primus hic homo prodiret ex manu DEI, univerſum genus humanum in ſuis contineret lumbis: ex quibus, tanquam *cauſa ſecunda*, illud, (æque ac piſces Maris, & aves Cœli, & animantia Terræ ſingula ſecundum ſpeciem ſuam ſuum propagarent genus) *per naturalem* propagare debuit *generationem.*

De hoc jam genere humano, quod ex primo homine ſecundum ſuam propagaretur ſpeciem, deliberando hic dicit DEUS: *Faciamus hominem.* Verbum hoc pluralis numeri arguit, inſtitui hic alloquium loquentis DEI ad conſilii, & operis, quod moliebatur, Socios. Quoties autem ejusmodi

modi DEI ad Socios ſuos in ſacra offendimus Scriptura alloquium, animadvertimus DEUM in procinctu ſtare ad notabilem aliquam communis trium Perſonarum Conſilii & Decreti partem exſecutioni dandam. (Confer. *Gen.* III. 22. XI. 6--8. Huc quoque referunt quidam *Eſaj.* VI. 8.) DEUS Pater itaque hic alloquitur Filium ſuum, & Spiritum ſuum ſanctum, tanquam communis hujus Conſilii & operis Socios ſuos, *faciamus hominem*, ſiſtamusque eum per infinitam voluntatis noſtræ efficaciam, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu: exornemusque eum *imagine noſtra*, *propter ſimilitudinem noſtram.*

צלם, *Imago*, repræſentat proprie, atque adumbra aliquid per certa lineamenta, quæ id co..ſpiciendum quaſi præbent, ut per ea innoteſcat ac perſpici queat. Ejusmodi imago DEI in homine a recentioribus Philoſophis, ad Platonis imitationem, vocatur *Idea* DEI. Quod Platonicum vocabulum Cicero ſignificanter latine reddidit per vocabulum, *notio.* Fuit enim hæc DEI imago in primo homine Venerandi Numinis *notio.* Quæ DEUM Triunum ei intrinſecus in mente ſua repræſentavit, non tantum ut Ens abſolute infinitum ac realiſſimum, omnes omnino abſolutas

ſolutas poſſidens realitates, atque nullo plane laborans defectu: ſed repræſentabat hæc DEI Triunius imago, vel notio, DEUM præſertim in mente humana tanquam *Dominum ſuum Moralem; Legislatorem*, & *Judicem:* cui obſtrictus erat homo, ut Ei in omnibus rerum, loci, ac temporis quam fideliſſime ac perfectiſſime obediret circumſtantiis. Sic enim debuit cognoſcere DEUM homo, ut Eum *tanquam* DEUM glorificaret, atque gratum ei in omnibus teſtaretur animum. *Rom.* I. 19--21. *p. pr.*

Hæc ſcilicet foret ex conſilio Triunius DEI *prærogativa* hominis, quod inter omnes res, quas a DEO hoc Geneſeos Capite creatas narrat *Moſes*, *intrinſecus in ſe* offenderet *notionem* Triunius DEI: quæ hominis, tanquam creaturæ rationalis, inſtrueret conſcientiam, ad DEUM non tantum recte cognoſcendum; ſed etiam recte atque ordine colendum. Enarrant quidem Cœli DEI gloriam, & expanſum opus manuum ejus; teſtanturque quam abundantiſſime DEI ἀΐδιον δύναμιν, ἢ Θειότητα, abſolutam & ſempiternam ejus potentiam, a qua pendent omnia; ac ejus abſolutam divinitatem atque independentiam *Pſ.* XIX. 2. Coll. cum *Rom.* I. 20. Verum hujus ſui, quo glorificant DEUM, teſtimonii nullam prorſus habent creaturæ brutæ conſcientiam. Ho-

mo autem in hac menti ſuæ imprimenda imagine ac *notione* Triunius DEI, contemplaretur, perſpiceret, atque videret quam clariſſime & diſtinctiſſime DEUM, *Dominum*, ac *Legislatorem* ſuum: moneretque eum hæc interior DEI conſcientia, ut hunc Dominum ſuum *in perpetua haberet agnitione*; atque in omnibus ad ejus ſe quam perfectiſſime componeret legem, utpote quæ unica erat ad conſequendam *vitam æternam* via. Conf. *Rom.* II. 7.

Quare etiam *Moſes* dicit, DEUM in hoc Sociorum alloquio ſignificaſſe hominem ipſorum imagine inſtruendum fuiſſe *propter ſimilitudinem ipſorum.* Ad quam ſe, ex eorum conſilio homo *ſecundum perſeverantiam boni operis*, componere; atque quam in ſe confirmare & conſummare deberet *Rom.* II. 7. *Faciamus*, inquit DEUS, *hominem cum imagine noſtra propter ſimilitudinem noſtram.*

Vocabulum, דמות, *ſimilitudo*, ſignificat proprie *conformitatem* inter duas, pluresve res: &, quoties de actionibus uſurpatur moralibus, ſignificat *conformitatem moralium actionum* inter duos vel plures; aut conformitatem actionum cum ſuo exemplari, ad quod componi debuerunt.

Voluit DEUS, ut homo, creatura rationalis, ſe *ad ejus legem*, tanquam *exemplar*

plar ſuum, in omnibus componeret. Hinc perpetuæ ejusmodi audiuntur admonitiones, *Eſtote ſancti*, *UT Jehova DEUS veſter ſanctus eſt*; *Eſtote puri*, *UT DEUS purus eſt*; *Eſtote perfecti*, *UT pater veſter*, *qui eſt in cœlis*, *perfectus eſt:* atque hinc ſtatus electorum conſummatus dicitur DEI *ſimilitudo.* 1 *Joh.* III. 2. *Dilecti! NUNC ſumus Filii DEI*, *& NONDUM manifeſtum factum eſt*, *QUID futuri ſimus*, *ſed ſcimus*, *QUANDO id manifeſtum fiet*, *nos ei fore SIMILES. Videbimus enim eum*, καθώς ἐστι, *SICUTI eſt.*

Ex hac futura hominis ſimilitudine, ad cujus conſummationem conſequendam homo a DEO creatus; atque imagine DEI ita inſtructus erat, elicuit verſutiſſimus ad hominem fallendum Diabolus, *Gen.* III. 5. ſuum argumentum: *Novit DEUS*, inquit verſutiſſimus ille Veterator, ac fallaciarum fabricator, *quod*, *quo die comederitis de hac arbore*, *futurum ſit*, *ut veſtri aperiantur oculi*, atque *vos ſitis* כאלהים, SICUT DEUS, *cognoſcentes bonum & malum.*

Hæc autem *ſimilitudo DEI*, ad cujus conſummationem conſequendam Homo a Triuno DEO ex ejus conſilio condendus, atque imagine ejus inſtruendus fuit, dicitur quoque in Scriptura ſacra *DEI gloria.* Quare Paulus dicit *Rom.* V. 2. *Per quem*

[Christum] *habemus adductionem per fidem ad hanc gratiam, in qua stamus, & gloriamur, de spe GLORIÆ DEI.* id est, de spe *consummandæ* SIMILITUDINIS DEI. 1 *Joh.* III. 2. Et quemadmodum Adam primitias hujus similitudinis DEI, quas in creatione sui acceperat, & ex officio *secundum perseverantiam boni operis*, sibi consummare debuerat, per peccatum suum plane perdidit: sic dicit *Paulus*, Peccatores hanc DEI gloriam per peccatum perdidisse. *Omnes* enim, dicit, *peccarunt, & destituuntur* GLORIA DEI. *Rom* III. 23. Conf. quæ ante XXX. & amplius annos, *in Commentario meo Belgico de Veris DEI Viis Libr.* VI. *Cap.* VIII. *pag.* 417. novissimæ Editionis, de hac DEI in primo homine Imagine, & Similitudine; & *de Præfixo*, כ, jam disputavi.

Docetque præterea *Moses*, DEUM in hac consilii atque operis sui Sociorum excitatione eos quoque monuisse, quod mutuo consilio decreverint, hominem creare, atque sua ornare & instruere imagine, *UT ipse Eos*, non tantum tanquam *DEUM suum*, recte cognosceret, & coleret; sed etiam, ut omne brutorum animantium genus *in mari*, *in cœlo*, atque *in terra*, (quæ hominis tanquam usufructuarii Domini Dominio subjicere decreverant)

verant) recte atque ordine ad Triunius DEI absolutum in ea Dominium, ac beneplacitum moderarentur.

Quare in enarrando hoc Triunius DEI consilio sic pergit *Moses*:

וירדו בדגת הים ובעוף השמים ובבהמה ובכל הארץ ובכל הרמש הרמש על הארץ׃

Ut dominentur in pisces Maris; & in volucres Cœli; & in pecudes; & in universam terram; & in omnia repentia, quæ repunt supra terram.

Crearet scilicet Triunus DEUS secundum mutuum hoc trium Personarum consilium, atque ornaret hominem sua imagine, ut tanquam Triunius DEI colonus moderaretur has omnes creaturas prudenter ac sapienter ad DEI Triunius gloriam, atque DEUS rationes a colono acciperet. Conf. *Cant.* VIII. 11. 12.

27.

ויברא אלהים את האדם בצלמו׃

Et Creavit DEUS hominem cum imagine sua.

Triunus DEUS id, quod communi trium

Perſonarum divinarum conſilio decreverat facere; & ad quod exſecutioni dandum Pater Socios ſuos, Filium, & Spiritum ſuum ſanctum, excitavit, præſtitit. Nam creavit hominem, *creaturam rationalem*, corpore organico, & mente cogitante conſtantem, *cum imagine ſua:* quam hominis menti per eandem hanc creationem, qua prodiit ex manu DEI, indidit. Unde Homo hanc ſtatim *intrinſecus in ſe* animadvertit DEI *imaginem* & *notionem;* eamque ejus mens neutiquam *poſt* ſui creationem *demum* a DEO accepit: ſed ipſa ſui creatione hanc DEI a DEO accepit imaginem, atque ita *nunquam*, vel *per minimum momentum ſine hac DEI imagine*, vel *notione* exſtitit. *Rom.* I. 19. 20.

Admirandam hanc hominis creationem paucis admodum hic attigit atque expreſſit verbis *Moſes.* Sed eam uberiore & diſtinctiore repræſentavit explicatione *Gen.* II. 7. ויצר יהוה אלהים את האדם עפר מן האדמה, *Et formaverat Jehova DEUS hominem pulverem ex terra.*

Cum homo conſtet & corpore organico; & mente rationali, diſtincte hic docet *Moſes*, *quo modo* DEUS formaverit ejus corpus organicum; & quo modo ejus creaverit mentem rationalem: atque eam arctiſſime conjunxerit cum corpore hoc organico.

Ad

Ad corpus autem organicum quod attinet, dicit, DEUM (quem *in capite hoc* II^do. primum nomine ſuo proprio יהוה, nominat, quo nomine eum in tota Creationis hiſtoria, quam *Cap.* I^mo. ſcripſit, non nominavit,) formaſſe, ac *figuli inſtar* exteriorem ei dediſſe formam: quæ exteriora ejus juſto ordine repræſentavit membra: quæ ſecundum primam hanc formationem & figurationem nullam habuerunt colorum, qui in vivo hominis corpore diſtingui ſolent, diſtinctionem: ſed exterior adſpectus hujus ſic formati & figurati Corporis, erat *pulvereus*, & *pulverei coloris.* Formaverat enim Jehova DEUS hominem pulverem, ut hoc corpus ex prima hac formatione nihil niſi pulverem, in *formam* & *figuram corporis humani* redactum, retulerit. Hunc autem pulverem in corporis humani formam & figuram diſpoſitum, ſumſerat ex terra, quæ ex ſe eſt *iners*, & *torpida Gen.* I. 2. ac propria ſua nihil efficere poteſt virtute. Conf. *Eccleſ.* XII. 7. Ex hac autem terra, (quæ *inhabilis* plane erat *materia*) ſumſit *Jehova DEUS* pulverem, quem ita formavit, ut exteriori ſua forma figuram corporis humani referret.

Præterire hic non videmur debere, cur *Moſes* in tota creationis hiſtoria *Capite* I^mo. *Creatorem Cœli*, & *Terræ*, ut & omnium,

quæ in iis ſunt, *proprio ſuo* non nominaverit nomine, יהוה: cum tamen in hac explicatiore creationis hominis narratione *Gen.* II. 7. *proprium* hoc DEI *nomen* clarè ac diſerte expreſſerit.

Vidimus *pag.* 5. 6. nomen divinum, אלהים, (quod in hac creationis hiſtoria Capite I^mo. paſſim occurrit) DEUM inprimis repræſentare in ſua ad creaturas rationales relatione, tanquam qui eſt earum *Dominus moralis*, *Legislator*, & *Judex*: ad cujus legem illæ omnes & ſingulæ ſe quam perfectiſſime atque fideliſſime componere debent.

Fundamentum autem *moralis* hujus creaturarum rationalium *dependentiæ* a DEO eſt, omnium omnino creaturarum non tantum rationalium, ſed etiam brutarum creatio, & conſervatio: qua illæ omnes & ſingulæ *phyſice* a DEO prorſus dependent. Quam omnimodam & ſui, & reliquarum rerum *phyſicam dependentiam* creaturæ rationales agnoſcere debent. Id autem facere non poſſunt, niſi DEUM cultu rationali ac religioſo ob hanc *naturalem ſui*, & *reliquarum creaturarum* omnium a DEO dependentiam proſequantur cultu. Quem ſi negligant creaturæ rationales, ſunt ἀναπολόγητοι. Nam DEUM *cognoſcentes*, non UT DEUM glorificant, neq; EI UT DEO gratias

tias agunt: ſed vani facti ſunt per ratiocinia ſua; & tenebris obſcuratum eſt deſipiens cor eorum. *Rom.* I. 20. 21.

Cum jam *Moſes* hanc creationis hiſtoriam demum ſcripſerit, poſtquam DEUS Iſraelem ex monte Sinai receperat in fœdus ſuum, tanquam ſuum ex omnibus Gentibus terræ peculium: Iſraelemque monuerat, ut DEUM ex hoc fœdere, tanquam DEUM ſuum *fœderatum*, coleret ac religioſo proſequeretur cultu. Sufficiebat ſi *Moſes* in hac creationis Hiſtoria creatorem rerum omnium nominaret, אלהים, ut Iſrael intelligeret *DEUM ſuum fœderatum* eſſe *creatorem Cœli & Terræ*, & *omnium quæ in iis ſunt*: atque *naturalem* hanc omnium rerum a DEO *dependentiam* verum eſſe *moralis* creaturarum rationalium a DEO *dependentiæ* fundamentum. Obligatæ enim ſunt creaturæ rationales, hanc omnium omnino creaturarum dependentiam agnoſcere: quod, tanquam creaturæ rationales, facere non poſſunt, niſi DEUM ſecundum legem DEI moralem, quam ſcriptam inveniunt in mentibus ſuis, colant & venerentur.

Verum cum reliquæ Gentes per hoc fœdus Sinaiticum ab Iſraelitis plane ſeparatæ ſint, *Epheſ.* II. 12. atque ſingulæ ſuos ſibi elegerint DEOS, qui ab Iſraelis plane diſtincti

tincti & diverſi erant DEO, viſum fuit *Moſi* hic loci *Gen.* II. 4---7. *Hunc Iſraelis DEUM*, cui creationem Cœli & Terræ, ac omnium, quæ in iis ſunt, in hac Creationis Hiſtoria *Cap.* I^mo. tribuerat, nomine ſuo proprio, יהוה, ab omnium reliquarum gentium אלהים, Diis diſtinguere: utpote inter quos Nemo repertus eſt, qui *cœlum & terram, vel aliquid eorum, quæ in iis ſunt, creavit*, aut *Creare potuit.* Hæc enim eſt ſolius DEI, cujus nomen proprium eſt יהוה, & qui Iſraelem ſibi fœdere junxit, *prærogativa*, quod ipſe ſolus *creaverit Cœlum & Terram*, & *omnia quæ in iis ſunt.* Quare & ipſe DEUS hac creationis Cœli & Terræ prærogativa ſe a reliquis distinguit, אלהים, Diis. Dicit enim *Jerem.* X. 10. אלהים, *Dii, qui non fecerunt Cœlum & Terram, peribunt de Terra; & ſub hoc Cœlo.*

Huic autem DEO Iſraelis (cujus nomen proprium eſt יהוה) tribuitur hic *Gen.* II. 7. hæc primi hominis pulverei corporis *formatio*, vel figuratio, ex terra. Id quod tamen ad *exteriorem* iſtius corporis ſuperficiem tantum non eſt referendum, quod vivi corporis humani colore conſpicua non fuerit, ſed hoc ad *interiores* hujus ex terra figurati corporis partes quoque referri debet. DEUM ſcilicet hac hujus corporis *figurationę intrinſecus* quoque diſtinctiſſima ejus

ejus vaſa *formaſſe*, quemadmodum *extrinſecus* diſtincta ejus *formavit* membra. Formavit enim DEUS hac eadem corporis figuratione *intrinſecus* in eo *cor* (quod in corpore illo eſſet fons vitæ corporeæ) & *pulmones*, & *arterias*, & *venas*, & *muſculos*, & *nervos*, ut particulas ejus ſubtiliores, fluidas factas, per eos moveret, atque hoc *interiorum humorum motu actuoſum* ac *vividum* faceret hoc *corpus*, ad omnia ejus membra variis modis *movenda.*

Cum vero nullus *motus* ſequatur *ex corporis eſſentia*; ſed aliunde in id inferri debeat: hinc quoque DEUS huic a ſe ex terra formato pulvereo corpori, novo quaſi actu, inſpiravit motum, qui interiores has hujus corporis particulas ſubtiliores per vaſa ejus omnia interiora, *Arterias*, *venas*, *nervos*, ita circumageret, ut per illam interiorem humorum circulationem, hoc corpus fieret *animal vivens*, quod per interiorem hunc humorum motum *viveret*, *quemadmodum* omnia animalia bruta per interiorem ejusmodi humerum motum, vitam ſuam *animalem* & *corpoream vivunt.* Id quod *Moſes* ſignificavit *Gen.* II. 7. *p. alt.* ויפח באפיו נשמת חיים, *Et inſpiravit per nares ejus halitum vitarum.*

Hæc DEI per nares inſpiratio in hoc corpus, ex pulvere terræ figuratum, effecit, ut par-

particulæ ejus ſubtiliores *intrinſecus* conceperint motum, ac humorum induerint indolem. Unde *ex corde per arterias* univerſum cœperunt *perreptare corpus;* atque inde *per venas redire* ad *cor;* & *per nervos* ſpiritus animales ex cerebro ad movendum muſculos, & membra corporis emittere. Quæ interior humorum circulatio, interveniente continua aeris reciprocatione, deinde in hoc corpore, *ordinaria DEI providentia* conſervata & continuata eſt. Atque ita accepit per hanc DEI inſpirationem hoc corpus *vitam* ſuam *corpoream* & *animalem.*

Sed hic non ſubſiſtit *Moſis* narratio, quod DEUS per hanc *inſpirationem* in hoc corpore excitaverit vitam *corpoream* & *animalem*, qualem cum brutis animalibus communem habet: ſed addit, DEUM quoque hac eadem inſpiratione, per nares ejus facta, cum corpore hoc organico quam arctiſſime conjunxiſſe *mentem rationalem*, cujus *eſſentia* & *vita in perpetua conſiſtit cogitandi actuoſitate* & *reciprocatione.* Dicit enim *Moſes*, quod DEUS per nares hujus corporis huic corpori inſpiraverit נשמת חיים, *halitum vitarum.*

Pluralis numerus, חיים, hic neutiquam eſt negligendus. Minimum quod *pluralis numerus* in hac locutione ſignificare poteſt, eſt,

eſt, quod DEUS *non unam* vitæ ſpeciem, ſed *plures* vitæ ſpecies, hac per nares inſpiratione, exitaverit in hoc corpore: quarum *altera* conſtabat *in interiorum humorum agitatione* per *arterias*, *venas*, & *nervos* hujus corporis, qualem vitam cum brutis animantibus communem habet homo; & *altera* conſiſtit in *perpetua mentis humanæ cogitandi actuoſitate* & *conſcientia.* Videturque Paulus ſic *Act.* XVII. 25. 28. *vitam mentis humanæ* diſtinguere *ab halitu*, quo ejus *corpus vivit.*

Verum hic addere poſſumus, *pluralem numerum apud Hebræos* habere *ſuperlativi gradus notionem:* atque ita hic dicit *Moſes*, DEUM hac per nares inſpiratione *excellentiſſimam* in hoc corpus *inſpiraſſe Vitam.* Quod cum *Moſes* procul omni dubio ſignificare voluerit, dubitare non poſſumus, quin hæc locutio debeat ad *mentis humanæ* potiſſime referri *vitam*, utpote quæ corporis vita longe *excellentior* eſt.

Vita enim *Mentis* omnium ſuarum actionum intimam habet *conſcientiam*, qualis Conſcientia a *corporis vita* plane ſeparata eſt. Accedit, quod & vocabulum, נשמה, & locutio נשמת אדם, in ſacra Scriptura ſatis diſtincte uſurpetur de *mente humana. Prov.* XX. 27. dicitur: נר יהוה נשמת אדם חפש כל חדרי בטן, *Anima*, vel *Mens homi-*

hominis eſt Lucerna Jehovæ, perluſtrans omnes interiores Ventris receſſus. Fuitque hæc, נשמת חיים, *anima vitarum*, vel *excellentiſſimæ vitæ*, quam DEUS per nares in illud inſpiravit corpus hominis mens: cuique menti, quam per nares huic inſpiravit corpori, impreſſit DEUS Triunus *ipſa in creatione ejus ſuam imaginem, propter ſimilitudinem ſuam*, cujus primitias ei in eadem illa creatione dederat, ut eam *ſecundum perſeverantiam boni operis* ſibi conſummaret. *Conf. Rom.* II. 7. Atque ita homo *per inſpirationem duplicis hujus vitæ*, & *corporalis* & *mentalis* κατ' ἐξοχὴν factus eſt, לנפש חיה, *in animam viventem.* Id quod Paulus citavit, & ad ſcopum ſuum accommodavit 1 *Cor.* XV. 45. dicens: *ita quoque ſcriptum eſt:* Ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν. ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem: ultimus Adam in Spiritum vivificantem.*

Sed redeamus ab hac *Cap.* II. 7. diſtinctius explicata corporis pulverei ex terra formatione; & ab mentis, per DEI aſpirationem, vel *inſpirationem* in illud corpus, *creatione*; & *arctiſſima* cum illo corpore conjunctione, ad *Moſis* breviorem hujus hominis productionis Hiſtoriam, quam *Cap.* I^mi. *Comm.* 27. ita perſequitur.

זכר

זכר ונקבה ברא אתם.

Marem & Fœminam creavit eos.

In omni ordinaria propagatione *per naturalem generationem* requiritur *Mas* & *Fœmina.* Principium omnis naturalis generationis eſt *ex mare*, quod *fœmina recipit*, atque per certum temporis intervallum apud ſe in utero ſuo, tanquam receptaculo, gerit, fovet, atque alit; donec fœtus ibi ad partum maturus factus, ex ea naſcatur. Sic quoque DEUS, qui decreverat *ex uno hujus hominis ſanguine* univerſum producere genus humanum, creavit hominem *marem* & *fœminam.* Id quod tamen ita accipere non debemus, acſi DEUS eodem temporis ſpatio, atque eadem ex pulvere terræ *figuratione*, & *maris* & *fœminæ formaverat corpus:* quemadmodum quidam inter Judæos ineptiunt, exiſtimantes, DEUM Adamo ex terra figuraſſe duplex pulvereum corpus, quæ tergo quam arctiſſime ſe invicem contingebant, ſed ab anteriore parte *alterum maris*; atque *alterum fœminæ* referebant corpus: ut adeo Adam ex prima creatione fuerit ἀνδρόγυνος; ſed quæ corpora deinde a DEO ſic diviſa fuerunt, ut ſe in tergo non amplius contingerent,

ſed

ſed duo facerent homines, quorum *alter* eſſet *mas*, atque altera *fœmina*: quam DEUS *mari* adjunxit tori ſociam; ut ex ea per DEI providentiam totum excitaret & propagaret genus humanum. Fabulas ejusmodi narrare procul dubio eſt, eas refutare.

Sed ſalva res eſt. Scriptura ſacra, quæ hic *Cap.* I^mo. *Comm.* 27. *part. ult.* paucis his verbis dixit: *Marem & Fœminam creavit eos*, docet nos ſatis diſtincte *Cap.* II^do. *Comm.* 16---20. *Fœminam* neutiquam *eodem temporis articulo* conditam eſſe, quo DEUS creavit *marem*. Narrat enim *Moſes* plura interceſſiſſe *inter Maris & Fœminæ* creationem. Inter quæ recenſere debemus interdictum, quod Adamo dedit de non edendo fructu arboris vetitæ; & adductionem animantium & volucrium ad Adamum, ut ea diſtinctis ſuis nominaret nominibus. *Cap.* II. 16---20.

Hæc autem ubi peracta erant, tum demum ſe accinxit DEUS, ut *non ex pulvere terræ*, ſed *ex coſta viri ædificaret fœminam*: quam adduxit ad eum, ut tori ſui perpetua eſſet ſocia, ad genus ſuum per eam propagandum. Ipſe ſcilicet *Adam principium iſtius propagationis* effunderet in *fœminam*, ubi receptum juſto temporis ſpatio geſtaretur, ac foveretur, donec fœtus, ad ortum maturus, ex ea naſceretur:

retur: atque ita faceret DEUS *ex uno hoc primi hominis ſanguine univerſum genus humanum, ut in toto inhabitaret orbe terrarum, definitis præordinatis temporibus; & inhabitationis eorum terminis Act.* XVII. 26. Futurum itaque erat, ut *Adam*, & *ejus Uxor*, quos DEUS infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo *cauſarum ſecundarum* interventu, produxit, in poſterum eſſent *cauſæ ſecundæ*, per quas DEUS, ordinaria ſua providentia, genus humanum conſervaret, & propagaret in terra. Ut enim DEUS in omnium animalium genere, ac ſpecie, primum *marem* & *fœminam*, *ſine interventu cauſarum ſecundarum* creavit, eosque conſtituit, ut, tanquam *cauſæ ſecundæ*, *per generationem naturalem* ſuum ſingula propagarent genus & ſpeciem: ſic quoque DEUS primum generis humani *marem* & *fœminam ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu* per infinitam voluntatis ſuæ creavit efficaciam; atque eos conſtituit, ut ipſi, tanquam *cauſæ ſecundæ*, ſuum quoque *per generationem naturalem* propagent & multiplicent genus, & ei ſubordinatas ſpecies. Atque hinc eſt, quod DEUS hominibus his primis hoc genus ſuum propagandi mandatum mox ab eorum creatione dedit. Sic enim pergit *Moſes:*

28.

ויברך אתם אלהים.

Et benedixit iis DEUS.

De *piſcibus Maris*, & de *avibus Cœli* itidem dixit *Moſes Comm.* 22. quod DEUS *iis benedixerit.* Ad quem locum vidimus, *pag.* 69. *DEI benedicere* ſemper eſſe *efficaciſſimum.* DEUS quippe, quando *benedixit* alicui, confert in eum id, quod in ſua continetur, & exprimitur benedictione. Per hanc itaque primorum hominum benedictionem contulit Triunus DEUS in eos illam virtutem, qua ſuum genus, tanquam *cauſæ ſecundæ, per naturalem generationem* potuerunt, ac debuerunt propagare; atque in terra conſervare. Continebat enim hæc benedictio diſertum ejusmodi propagationis mandatum. Sic enim pergit *Moſes*:

ויאמר להם אלהים פרו ורבו ומלאו את הארץ וכבשה׃

Et dixit iis DEUS: fructus ferte, & multiplicamini, & implete terram, & ſubigite eam.

Mandavit itaque Triunus DEUS primis his

hiſ hominibus, quemadmodum *comm.* 22. idem mandaverat primis cujusque generis animantium, mari & fœminæ, ut virtutem propagandi, quam per DEI benedictionem acceperant, applicent, atque exerceant; ut *per naturalem ſcilicet generationem* genus ſuum, tanquam *ventris ſui fructum*, edant, illudque *multiplicent*, atque eo *impleant terram.* Conf. *Act.* XVII. 26. Additque DEUS, *& ſubigite eam*, ut ea ſuum vobis det proventum. Collocaverat quippe DEUS Adamum in horto ſuo inſtructiſſimo, ut *eum cuſtodiret & coleret Gen.* II. 15. ac per iſtam culturam & curam fructus iſtius horti, tanquam DEI *colonus*, ſuos faceret.

Quemadmodum vero Triunus DEUS univerſam homini ſubjecit terram: ſic quoque ei dedit in omnia animantia dominium, ut ea nomine DEI (Abſoluti eorum Domini) tanquam ejus *Vicarius*, ad gloriam DEI moderaretur, atque DEUS ita Coloni acciperet rationes. Conf. *Cant.* VIII. 11. 12. Hoc DEI hominibus ad dominandum in animantia datum mandatum ita expreſſit *Moſes.*

ורדו בדגת הים ובעוף השמים ובכל חיה
הרמשת על הארץ.

Et dominamini in piſces maris; & in volucres Cœli; & in omnia animalia, repentia ſupra terram.

Dixerat DEUS ſociis ſuis, Filio, ac Spiritui ſuo ſancto, *Comm.* 26. *Faciamus hominem cum Imagine noſtra propter ſimilitudinem noſtram*, inter alia etiam, *UT dominetur in piſces Maris; & in aves Cœli, & in animalia; & in univerſam terram; & in omnia repentia animantia, quæ repunt ſupra terram.* Hinc ei quoque mox poſt creationem dedit hoc mandatum, ut illud in omnia hæc animantia ſuſciperet dominium, ad quod a DEO creatus, atque imagine DEI ornatus erat. Confirmavitque ei ſtatim id dominandi jus DEUS, *adducens Gen.* II. 19. 20. ad eum *omnia hæc animantium genera*, ut *Adam*, ex hoc, ſibi a DEO conceſſo, dominii jure, ea ſingula *diſtinctis nominaret nominibus:* manſitque hoc eorum diſtinctum nomen, quo ea nominavit nomine.

Quod tamen *Dominium in animantia* ſe eo uſque non extendit, ut licuerit homini *animantia illa mactare*, & *edere: ſed ci-*

bum omnem ſuum capere debuit *ex fructibus terræ.* Quare ita pergit *Moſes:*

29.

ויאמר אלהים הנה נתתי לכם את כל עשב
זרע זרע אשר על פני כל הארץ ואת כל העץ
אשר בו פרי עץ זרע זרע לכם יהיה לאכלה.

Et dixit DEUS: Ecce! dedi vobis omne germen ſeminans ſemen, quod eſt in ſuperficie totius terræ; & omnem arborem, in qua eſt fructus; arborem ſeminantem ſemen; [hæc] *vobis ſunto in cibum.*

Excitat Triunus DEUS, ut hoc diſtincte intelligant, primorum hominum attentionem. *Ecce* inquit. Eſt, acſi diceret: non dedi vobis, *hoc dominio in animantia*, poteſtatem, vel jus, ea mactandi, atque in cibum veſtrum convertendi: ſed dedi vobis in cibum veſtrum omne germen ſeminans ſemen; & omnem arborem, in qua eſt arboris fructus ſeminans ſemen, ut ejus fructu veſcamini. Hoc autem ut diſtinctius iis innoteſceret, Dominium ſcilicet ipſis in animantia datum, ſe *adhuc nondum* eo uſque extendere, ut ipſis liceat ea mactare, atque carnem eorum in cibum convertere, addidit DEUS:

30.

ולכל חית הארץ ולכל עוף השמים ולכל רמש
על הארץ אשר בו נפש חיה את כל ירק עשב
לאכלה׃

Et loco omnium animantium terræ; & loco omnium volucrium cœli; & loco omnium repentium ſupra terram, in quibus eſt anima vivens [dedi] *omne viride germen in cibum.*

Videtur DEUS Triunus omnium generum & ſpecierum animantium, infinita voluntatis ſuæ efficacia, *ſine cauſarum ſecundarum interventu*, tantum *Marem* & *Fœminam* creaſſe, ut ex his, tanquam *cauſis ſecundis*, ordinaria ſua providentia ſingulorum genus propagaret, multiplicaret, & conſervaret in terra: quemadmodum id de humano genere ſatis diſerte traditur, DEUM ita divina ſuæ voluntatis efficacia, *ſine interventu cauſarum ſecundarum*, unum tantum marem atque unam tantum fœminam creaſſe, ut ex iis, tanquam *cauſis ſecundis*, ordinaria ſua providentia univerſum propagaret genus humanum, illudque multiplicaret, atque eo univerſam impleret terram.

Exiguus adeo numerus ſingulorum generum

rum, vel ſpecierum animantium brevi fuiſſet exſtinctus; ſi homini licuiſſet ſuum, ſibi a DEO in animantia datum, dominium, eo uſque extendere, ut ea mactaſſet, & comediſſet. Accedit, quod hæc animantia, ſi vel eorum *Mas*, vel eorum *Fœmina* ita fuiſſet mactatus, & in cibum hominis converſus, ſecundum DEI intentionem, genus ſuum, *per generationem naturalem*, neutiquam potuiſſent propagare. Requiritur enim ad ejusmodi omnis generis animantium, per ordinariam DEI providentiam, propagationem *Mas & Fœmina*. Eſt itaque, acſi dixiſſet DEUS, ut evitetis deſtructionem & exſtinctionem alicujus *generis*, vel *ſpeciei* animantium, dedi vobis, *loco omnium* & *ſingulorum generum* vel *ſpecierum* animantium, *omnem omnino viridem* herbam. De *hac vi* atque *uſu Præfixi* ל, quod habeat ſignificationem, *loco*, Confer *Comm. meum Belgicum de Veris DEI Viis Libr.* VI. *Cap.* II. §. III. *pag.* 413. Noviſſimæ Editionis. Ubi videre poteritis, me jam ante XXX. annos & amplius, in hunc ipſum *Moſis* locum ita commentatum eſſe.

Ejusmodi vero animantium deſtructio, vel exſtinctio, cum *poſt diluvium* non adeo erat metuenda ex mactatione & eſu animantium, extendit tunc ipſe DEUS hoc hominum dominium etiam ad

mactationem & esum animantium : modo ab eorum abstinerent sanguine *Gen.* IX. 2--4. DEUS quippe in arca conservaverat ex mundorum animantium generibus non tantum *unum marem* & *unam fœminam* ad novam propagationem ; sed *septem mares* & *septem fœminas*. Ex quibus singulæ eorum species brevi tempore valde propagari ac multiplicari potuerunt.

Solet scilicet DEUS hominibus datum dominium, ut sibi, tanquam absoluto, ac supremo Domino, *Dominii sui supremi* vindicet *jura*, determinare, ac certis suis includere & circumscribere limitibus : extra quos homini non licet, sibi a DEO concessum dominium extendere.

Dixit DEUS Adamo *Gen.* II. 16. *Ex omni arbore hujus horti sine metu edes.* Sed limitatur hoc ei jus a Legislatore DEO *Com.* 17. *Sed de arbore Boni & Mali*, moneo te, *ne ex ea edas. Nam quo die comederis ex ea, moriendo morieris.* Permisit, ut vidimus, Noacho & posteris ejus *esum animantium* : sed addidit *restrictionem hujus Dominii*, qua *esum sanguinis animantium quam severissime prohibuit. Gen.* IX. 2--4. Sic quoque hic, secundum *Mosis* narrationem *Gen.* I. 29---30. dedit DEUS homini dominium in omnia animantia; sed restrinxit hoc in animantia datum dominium ita, ut

ut satis intelligeret Homo, sibi hoc eousque extendere non licere, ut ea mactet, & edat. Quare ei dixit : *Loco horum animantium esto vobis omnis viridis herba in cibum.* Ad quod DEI mandatum, *antequam* eum suis circumveniebat fallaciis Diabolus, se composuit Homo. Pergit enim *Moses:*

ויהי כן.

Et erat ita.

Hoc [*erat ita*] debet hic referri & ad id omne, quod ipse DEUS fecit; & quod mandavit hominibus. Erat scilicet Homo, cum prodiret ex manu creantis DEI, talis, ac DEUS efficacissimo suo jussu eum formaverat, utpote qui constabat tali corpore organico; & mente cogitante, instructa DEI Triunius imagine propter DEI similitudinem : quique una cum sua uxore acceperat virtutem, *suum genus per generationem naturalem*, tanquam *causa secunda*, propagandi; terram progressu temporis implendi; & limitatum suum in animantia dominium exercendi. Id quod etiam Adam, circa legem cibariam, *antequam* suis eum circumvenerat Diabolus fallaciis; & circa omnia reliqua DEI mandata etiam quam fidelissime præstitit. Atque de his

omnibus affirmari potuit, quemadmodum etiam hic facit *Moſes*, dicens; *Et erat ita.*

Quemadmodum autem DEUS omnium dierum opera ſpeciatim, poſt eorum quaſi recenſionem, & examen, approbavit & laudavit: generalem omnium eorum ſexto hoc die approbationem & laudationem ſubjunxit. Pergit enim *Moſes Comm.*

31.

וירא אלהים את כל אשר עשה והנה טוב מאד.

Et vidit DEUS omne quod fecit, & ecce erat valde bonum.

Triunus DEUS extremo die ſexto, opera iſtius diei non tantum revocavit ad examen; ſed omnium omnino præcedentium dierum operum ſuorum novum *quaſi* denuo inſtituit examen: quo animadvertit, & expertus *quaſi* eſt, omnia & ſingula ſua omnium horum ſex dierum opera, non tantum *bona*, ſed *valde bona* eſſe. Utpote quæ quam accuratiſſime & quam perfectiſſime ſatisfaciebant efficaciſſimæ voluntatis Triunius DEI juſſui, atque intentioni. Atque ita etiam *ſextus* hic a creatione *dies* ſuum

ſuum conſecutus eſt finem. Quare *Moſes* addidit:

ויהי ערב ויהי בקר יום הששי.

Et fuit Veſpera, & fuit Mane. Dies ſextus.

Et fuit Veſpera, quæ eſt principium noctis cum ſequente ſua nocte; & fuit Mane, quod eſt principium diei cum ſua conſequente die. Atque ita lapſus eſt *ſextus* a creatione *dies.*

Geneſ. Cap. II^do.

De Quiete VII^mi, *Diei Comm.* 1--3.

1.

ויכלו השמים והארץ וכל צבאם.

Et abſoluti ſunt Cœli & Terra, & omnis exercitus eorum.

Conſummati ſunt *ſex dierum ſpatio* per infinitam divinæ Voluntatis efficaciam *Cœlum* utrumque & aereum & ſtelliferum, (a quibus

quibus tertium excludere Cœlum non licet) & *Terra*, & *omnis exercitus eorum*. *Exercitus* Cœli adſpectabilis ſunt *Sol*, *Luna* & *Stellæ*. Inadſpectabilem Cœli exercitum faciunt in primis Angeli. *Gen.* XXXII. 1. 2. & *Luc.* II. 13. 15. Unde, quoties DEO viſum, emittuntur: *Hebr.* I. 14. Hi vocantur univerſus *Cœli exercitus Deut.* IV. 19. *Exercitus terræ* ſunt *Piſces maris*, *Beſtiæ agri; frutices*, *herbæ*, *arbores*; atque in primis *homines*. Hæc omnia complectitur Scriptura, quando *de creatione Cœli* & *Terræ* agit. Paulus dicit. *Act.* XVII. 24. *DEUS qui fecit mundum*, & *omne quod eſt in eo; Hic*, *cum ſit Dominus Cœli & Terræ*, *non habitat in templis manufactis*. Add. *Exod.* XX. 11. *Act.* XIV. 11. *p. alt.* & *Pſalm.* CXLVI. 6. *Apoc.* V. 13. dicitur: *Omne creatum*, *quod eſt in Cœlo*, & *ſuper terra*, & *ſub terra*, & *in mari*, & *omnia quæ ſunt in iis audivi dicens*: *Ei*, *qui inſidet Throno*, & Agno eſto εὐλογία, & *Honor & gloria*, & *robur in omnem æternitatem*. Conf. *Pſalm.* CIII. 19---22. Ubi hæc omnia *Jehovæ Exercitus* vocantur.

Omnia hæc, *Cœlum & terram*, & *omnem exercitum eorum*, produxit, & *perfecit* DEUS ſpatio *ſex dierum*, infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu; atque indidit iis omnibus, ac ſingulis facultatem, qua ſingula, tanquam *cauſæ ſecundæ*, per ordinariam DEI providentiam in poſterum vel ſuam ſingularem propagarent ſpeciem; vel id efficerent; ad quod faciendum & operandum a DEO deſtinata ſunt.

Ab his autem, quæ DEUS *ſpatio horum ſex dierum* conſummavit & perfecit, tranſit *Moſes* ad DEI quietem, qua proxime ſequentem *ſeptimum* diem a *ſex primis diebus* diſtinxit, & quaſi ſeparavit DEUS, dicens *Comm.*

2.

ויכל אלהים ביום השביעי מלאכתו אשר עשה,

Nam abſolverat DEUS ante diem ſeptimum ſuum opus, *quod fecit.*

Triunus DEUS perduxerat ad finem, מלאכתו, opus ſuum. Vocabulum מלאכה, uſurpatur in ſacra Scriptura, de opere, vel negotio, quod alicui ſpeciatim, tanquam ejus functio, vel munus, demandatum eſt, ut in eo occupetur. Voluit quippe DEUS, homines in varias dividere ſocietates; ac ſocietatum membra ſibi invicem quam arctiſſime obſtringere. Hinc noluit, ut omnes & ſinguli idem facerent opus,

opus, aut in uno eodemque occuparentur negotio; ſed ordinaria ſua providentia voluit adducere hunc ad hoc negotium; atque illum ad aliud negotium: ut alter alterius tali in ſocietate indigeret opera; atque alter alterum ſuis juvaret operibus. Singula ejusmodi opera & negotia, quæ ſingulis, vel quibusdam ejusmodi ſocietatis membris, per DEI ordinariam providentiam, demandata ſunt, vocantur in lingua Hebræo-Biblica, מלאכה. Græci vocant talia opera muneris vel functionis, πρᾶξεις. Paulus alludens ad ejusmodi hominum ſocietatem, atque diſtinctum eorum officium, quod alter alteri ad conſervandam, & confirmandam talem ſocietatem, impendere debet, dicit de corporis humani partibus *Rom.* XII. 4. *Habemus nos in uno corpore multa membra; ſed omnia illa membra non habent* ἀυτὴν πρᾶξιν, Id quod applicat ad *ſpiritualem illam ſocietatem*, cujus caput eſt Chriſtus, & cujus membra ſunt fideles. Ita, inquit *com.* 5. *nos multi ſumus unum corpus in Chriſto.* Sed quisque nos ſumus mutua membra. Unde arripit occaſionem, eos monendi, ut ſinguli ſuum donum, quod DEUS ſecundum ſuam gratiam diſtincte inter eos diſtribuerat, in communem omnium & ſingulorum impendant ædificationem. Talia erant, מלאכות, *opera*, vel

vel *negotia functionis & muneris*, quæ DEUS inter Iſraelitas diſtribuerat, a quibus ſe *Sabbati diebus* abſtinere debuerunt *Exod.* XX. 8--10.

Quemadmodum vero DEUS מלאכות, opera, & negotia diſtinctorum munerum & functionum, inter omnes hominum ſocietates, ordinaria ſuo diſtribuit providentia: ſic quoque *Moſes* DEO tribuit ſingulare, מלאכה, *opus* vel *negotium:* quod IPSE *fecit*, atque *ante diem ſeptimum perfecit.* Eſtque hoc מלאכה, *negotium*, vel *opus divinum* ita comparatum, ut a nulla fieri queat creatura: eſt enim tale hoc opus divinum, ut non niſi infinitæ voluntatis efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, ſiſti atque exhiberi potuerit. Quare hoc, מלאכה, ſolius DEI eſt מלאכה, opus: quo *ſe*, & *ſua opera* ab omnibus omnino creaturarum, מלאכות, *operibus*, & *negotiis* diſtinguit. Quare ſe etiam hoc inter alios a falſo dictis Diis diſtinguit charactere *Jer.* X. 11. *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, peribunt de terra, atque ſub hoc cœlo.*

De hoc jam DEI opere, quo omnium omnino rerum, a natura ſua diverſarum & diſtinctarum, *genera*, atque omnes earum *ſpecies* infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu *creavit; produxit;*

&

& *ſtitit;* dicit *Moſes*, quod illud *perfecerit; conſummaverit*, atque quam pleniſſime *ad finem ſuum perduxerit, ANTE ſeptimum a principio creationis diem.* De hac præfixi, ב, uſu ac notione, qua ſignificat, *ante*, ante hos XXXVI. annos & amplius pluribus egi *in Commentario meo Belgico, de Chriſti ortu ex Davide.* Vide *Libr.* I. *Cap.* XIV. *pag.* 206. noviſſimæ Editionis. Ubi vero DEUS hoc ſuum opus *ANTE ſeptimum perfecerat* diem; *ſeptimo die quievit* ab hoc opere ſuo. Quare ita pergit *Moſes:*

וישבת ביום השביעי מכל מלאכתו אשר עשה.

Et quievit ſeptimo die ab omni opere ſuo, quod fecit.

Omne hoc opus ſuum, quod fecit DEUS, hic, ut ex priori hujus *Comm.* parte liquet, debet tantum referri *ad omne illud DEI opus*, quod, ſpatio *ſex antecedentium dierum*, infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, *fecit;* ac *ſtitit*: debetque hoc neutiquam extendi ad *illa* DEI *opera*, quæ in poſterum *per ordinariam ſuam operaretur providentiam.* Ad hæc enim excitat DEUS (niſi ſi ei viſum fuerit aliquod edere miraculum, quod ſæpe fecit; atque adhuc procul omni dubio, ali-

aliquando, licet rarius, facit. Conf. *Jer.* XXXI. 22. cum *Joh.* II. 11.) *facultatem*, quam indidit Creaturis ſingulis ſecundum ſpecies ſuas, qua *cauſarum ſecundarum inſtar*, dependenter a DEO agerent, operarentur, ac ſuum, ad quod a DEO deſtinatæ ſunt, facerent opus. Has enim omnes & ſingulas *deducit* DEUS ordinaria ſua providentia *in actum;* ut *tanquam cauſæ ſecundæ* dependenter a DEO, qui eſt omnium effectuum *cauſa prima*, ſuum *ſpeciatim* faciant opus. Non ab his, quæ per ordinariam ſuam, interventu cauſarum ſecundarum, facit providentiam, *ceſſavit*, vel *quievit ſeptimo hoc die* operibus; (Conf. *Hebr.* I. 3. *Col.* I. 17. *Apoc.* IV. 11. *Joh.* V. 17.) ſed tantum ab illis, quæ *ſpatio ſex antecedentium dierum per infinitam voluntatis ſuæ efficaciam, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, fecerat*, ac *perfecerat*, ceſſavit vel *quievit* DEUS *hoc ſeptimo die.*

Verbum hoc, שבת, quo hic utitur *Moſes*, paſſim uſurpatur in Lege, de *ceſſatione*, & *omnimoda abſtinentia* ab omni omnino, מלאכה, *opere quotidiano:* quam Iſraelitæ *quovis ſeptimo hebdomadis die*, ac *ſeptimo quovis anno*, atque aliis *ſolennioribus diebus feſtis* quam ſanctiſſime obſervare debuerunt. Significat itaque *Moſes*, DEUM ſe *hoc ſeptimo die* plane ac prorſus

abſtinuiſſe a creatione omnium *ejusmodi* (quas ſex antecedentium dierum ſpatio creaverat) *ſpecierum*, quas per infinitam ſcilicet voluntatis ſuæ efficaciam, ſine interventu cauſarum ſecundarum, creaverat, ac ſtiterat. Quare etiam DEUS *hunc ſeptimum diem* a reliquis *ſex antecedentibus diebus* valde *diſtinxit*, ac *laudavit*. Subjungit enim *Moſes*.

3.

ויברך אלהים יום השביעי׃

Et benedixit DEUS diei huic ſeptimo.

Benedicere diei, eſt eum *laudare*, *felicem* ac *fauſtum* prædicare. Notio hujus locutionis felicius indicari non poteſt, quam ſi animadvertamus, quam *triſtia; ærumnoſa;* ac *dira* ſignificet ei oppoſita locutio, *maledicere diei*. Expende, quæ Jobus (*maledicens diei ſuo*) *Cap.* III. de eo dixerit (conf. præterea *Jer.* X. 14--18.) DEUS itaque hunc *ſeptimum a creatione mundi diem laudavit* valde, utpote in quo, ſecundum mutuum trium divinarum perſonarum conſilium, *nullum genus*, ac *nulla* prorſus rerum, a DEI natura diverſarum & diſtinctarum, *ſpecies* amplius *reſtabat* creandum: Potuit enim DEUS *hoc ſeptimo a creatione mundi die* maxima,

ma, ac ſuaviſſima approbatione atque oblectatione contemplari omnia illa opera, quæ *ſex antecedentium dierum* ſpatio, ſola divinæ voluntatis ſuæ infinita efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, *fecerat*, ac *perfecerat*. Animadvertebat enim ea omnia & ſingula non tantum fuiſſe *bona*, ſed fuiſſe *valde bona* Quare etiam *ſeptimum hunc a creatione Mundi diem* non tantum *felicem* ac *fauſtum* valde prædicavit diem DEUS; ſed eum quoque *ſanctificavit*. Sic enim pergit *Moſes*:

ויקדש אתו׃

Et ſanctificavit eum.

Verbum קדש, proprie ſignificat aliquid *a communi uſu ad ſingularem*, atque ſpeciatim *ad ſacrum aliquem ſeparare* uſum. Derivatum enim eſt hoc verbum a vocabulo, קדש, quod ſignificat *ſanctitatem*. Sunt enim omnia hujus formæ vocabula *in lingua Hebræo Biblica*, *primitiva*, & *radicalia* vocabula: quemadmodum in ſequente *Tertia* videbimus *Diſſertatione*. DEUS ſcilicet, qui, *ſex* antecedentibus *diebus* ſingulis, *diſtinctum* aliquod infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu,

ventu, *produxerat* (quare *Moſes ſex illos dies* hac diſtinxit formula, *& fuit Veſpera; & fuit Mane, primus; ſecundus; tertius; quartus; quintus*; & *ſextus dies*) *ſeptimo hoc die* ab omni omnino *ejusmodi creatione novorum generum*, & *novarum ſpecierum ceſſavit*, ac prorſus *ſe abſtinuit.* Atque hæc eſt cauſa, cur *Moſes* de hoc *ſeptimo a creatione die* agens, formulam illam (*& fuit Veſpera; & fuit Mane*, quam de *ſex antecedentibus diebus* diſtincte *adeo* uſurpavit) non adhibuerit. Non dixit: *& fuit Veſpera, & fuit Mane Septimus dies.* Sed de hoc *die ſeptimo* tantum dixit *Moſes*, quod DEUS *in eo quieverit ab omni opere ſuo*, quod infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullarum cauſarum interventu, *fecerat*; & quod DEUS *ideo* ſeptimo illi *benedixerit* diei, atque eum *ſanctificaverit.* Hanc enim hujus ſeptimi diei benedictionis & ſanctificationis rationem ſubjunxit *Moſes*, atque ea Hiſtoriam creationis Mundi clauſit, dicens:

כי בו שבת מכל מלאכתו אשר ברא אלהים לעשות.

Quia in eo quievit ab omni opere ſuo quod creavit DEUS ad faciendum.

Cum Triunus DEUS *ſpatio ſex dierum omnia*

omnia genera, & *omnes ſpecies* creaturarum, infinita voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, *creaverat*, *ceſſavit die ſeptimo* ab *ejusmodi creatione*, & *productione novorum generum*, & *novarum ſpecierum.* Perduxerat enim DEUS ſex illorum dierum ſpatio *mundum*, id eſt *Cœlum*, *& Terram*, *cum omnibus quæ ſunt in iis*, ad *pleniſſimam* ſuam *conſummationem:* adeo ut ei nihil defuerit; ac ei, *ſecundum Triunius prædefinitum Conſilium*, nihil addi potuerit. Atque hæc eſt cauſa, cur DEUS *diem ſeptimum*, quo vidit *omnia*, quæ *fecerat*, prorſus *conſummata*, *bona*, immo *valde bona* eſſe, *laudaverit*, ac *ſanctificaverit.* Conſervaturus, & moderaturus in poſterum omnia, quæ creaverat, (ſola excipiantur miracula) *per ordinariam ſuam providentiam* ita, ut omnes & ſingulæ hæ res, tanquam *cauſæ ſecundæ*, ſuum, deinde dependenter a DEO, *ſecundum leges naturæ*, peragant, & faciant opus.

Hoc ſyſtema Mundi, quod Spiritus ſanctus per amanuenſem ſuum *Moſen*, *qui in tota DEI domo fidelis fuit*, atque adhuc dum *eſt miniſter Hebr.* III. 3 5. in hac deſcribendum curavit hiſtoria, ſi ſequerentur Philoſophi: tot opinionum monſtra erudito non obtruderent Orbi. Viderent enim, DEUM *in*

principio omnium rerum a natura ſua diverſarum & diſtinctarum *genera*, & *ſpecies*, ſpatio *ſex dierum*, infinita Voluntatis ſuæ efficacia, ſine ullo cauſarum ſecundarum interventu, *creaſſe* & *produxiſſe*: atque ſingulis his rerum creatarum *generibus* & *ſpeciebus indidiſſe facultatem*, qua *ſingulæ hæ ſpecies*, vel *ſuum* potuerunt, atque adhuc poſſunt *propagare genus*, *ſecundum ſuam ſpeciem*; vel ſuum, ad quod a DEO *ſpeciatim* deſtinatæ ſunt, tanquam *cauſæ ſecundæ*, *ſecundum naturæ leges*, facere opus. Intelligerentque, quo pacto τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ, ab ipſa creatione Mundi, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, *perſpici* potuerunt & adhuc poſſunt; *quænam* ſcilicet ſit DEI ἀΐδιος δύναμις, a qua prorſus pendent omnia, & ſingula, quæ a DEI natura diverſa & diſtincta ſunt; & quænam ſit DEI Θειότης, id eſt, *abſoluta independentia*. Quippe qui, quemadmodum *independenter*, ac neutiqurm *ab alio exiſtit*, utpote *per infinitam* ſuam, *& ſufficientiſſimam exiſtens eſſentiam*: ſic quoque *omnia*, quæ *fecit*, atque adhuc dum *facit*, *indepedenter facit*, unice *ſecundum conſilium & beneplacitum voluntatis ſuæ*. *Eph.* I. 5. 11. *Quare omne* κτίσμα, *creatum*, *quod eſt in cœlo*, *& in terra*, *& ſub terra*, *& in mari*, *& omnia*, *quæ ſunt in iis*, dicunt: *Ei*, *qui ſedet*

ſedet in throno; *& Agno* ἡ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Eſt enim hac glorificatione dignus DEUS, *quia hæc omnia creavit*, *conſervat*, & *moderatur*. Quare ei dicunt: *Tu Domine! dignus es*, *qui accipias gloriam*, *& honorem*, *& potentiam*, *quia TU creaſti omnia*, *& per voluntatem tuam ſunt*; *& creata ſunt* (Conf. *Apoc.* IV. 11 cum V. 13. *Col.* I. 16. 17.) quam gloriam qui DEO non tribuit, eſt, pronunciante Paulo, *Rom.* I. 20--22. ἀναπολόγητος. Utpote qui DEUM cognoſcens, eum tanquam DEUM non glorificat: aut ei gratias non agit; ſed vanus factus eſt per ſuas ratiocinationes, & deſipiens ejus cor obtenebratum eſt, præ ſe ferens, quod ſit σοφὸς, ſtultus factus eſt. Eſt enim (Confer. 1 *Cor.* I. 20. 21.) *ejusmodi Philoſophorum ſapientia mera coram DEO ſtultitia.*

FINIS.

II.

DISSERTATIO HISTORICA,

DE

SITU EDENIS; ET HORTI

Quem DEUS ipse ea in REGIONE plantavit,

SECUNDUM

NARRATIONEM MOSIS

Genes. Cap. II^do.

DISSERTATIO HISTORICA DE SITU EDENIS; ET HORTI,

Quem DEUS ipse ea in REGIONE plantavit.

SECUNDUM

NARRATIONEM MOSIS

Genes. Cap. II^do^.

I.

Regio hæc, tempore *Mosis*, nominata fuit, עדן, EDEN. Quod nomen videtur significasse, *regionem* hanc fuisse valde *amœnam*: quæ amœnitate ac jucunditate sua afficiebat homines; quippe qui inde suavissimam concipiebant *Voluptatem*. Significat enim vocabulum, עדן, EDEN,

(Quod

(Quod ad vocabula *duplici ſægol*, grammatice proxime accedit, cujusmodi vocabula omnia in *lingua Hebræo-Biblica* ſunt *primitiva*, & *radicalia*; quæ aliunde derivanda non ſunt) *Voluptatem.* Quam notionem ſi quoque *in primæva Adamitica*; vel *in veteri Aramæa lingua* vocabulum, ערן, habuerit, *vera denominationis* hujus Regionis latere non poteſt *ratio.*

II.

Habuit hæc amœniſſima Regio, EDEN, ſuam *Orientalem plagam.* Nam *Cain* dicitur poſt fratricidium, tanquam profugus, ſe recepiſſe in terram, vel regionem, NOD. (Quæ hoc nomen ab ejus exilio accepit & dicitur EDENI fuiſſe *ad orientem. Gen.* IV. 16.) Erat ergo EDEN NODO *ad occidentem;* quemadmodum NOD erat EDENI *ad orientem.*

III.

Regionem, EDEN, ſuam *orientalem* habuiſſe *plagam*, porro patet, quod *Moſes* diſertis dicat verbis *Gen.* II. 8. DEUM hortum ſuum inſtructiſſimum *in orientali EDENIS parte* plantaſſe. ויטע יהוה אלהים גן בערן מקדם. *Et plantavit Jehova DEUS hortum in EDEN, a parte Orientis.* IV.

IV.

Si EDEN habuit ſuam *Orientalem plagam*, oportet, ut quoque habuerit ſuos *terminos*, *Borealem; Occidentalem*; & *Auſtralem.* Verſus *Auſtrum* videtur EDEN contigiſſe *Thelaſſar.* Fit enim 2 *Reg.* XIX. 12. mentio, בני ערן, filiorum EDEN, qui in *Thelaſſar* erant. Collocaturque *Thelaſſar* a Geographis in *Meſopotamia.* Videturque *Meſopotamia* EDENI *ab auſtro* fuiſſe. His autem *quatuor* terminis, ac limitibus hæc EDENIS Regio tempore *Moſis* adhuc circumſcripta fuit.

V.

In hac EDENIS Regione olim exſtitiſſe *fluvium ad irrigandum hortum*, quem DEUS *in ejus Orientali plantaverat parte*, teſtatur *Moſes.* Qui tamen de *hoc fluvio* ita loquitur, ut ex ejus verbis certo concludi nequeat, num *Moſis tempore ibi* adhuc cognitus *ille fuerit fluvius.* Verba *Moſis* potius videntur innuere, *fluvium hunc olim* quidem ibi exſtitiſſe, ad irrigandum illum hortum; ſed poſtea ibi non amplius fuiſſe repertum. Utpote qui cum deſtructione iſtius horti abſorptus, vel arena oppletus fuit;

fuit: quippe qui per deſtructionem iſtius horti ſuum perdiderat uſum, qui erat irrigatio iſtius horti, hunc enim in uſum fluvium hunc tantum iſta in Regione excitaverat DEUS. Quare, ſi quid ejus, poſt horti hujus deſtructionem, ſuperfuerit, id omne in univerſali Diluvio plane videtur abſorptum fuiſſe.

VI.

Monet tamen *Moſes*, ut ut ſuo exſtinctus plane videatur tempore antiquiſſimus ille EDENIS fluvius, qui irrigabat DEI hortum iſta in Regione; reliquiſſe tamen eum illa ipſa in Regione certiſſima ſua quædam veſtigia: quæ *Moſis tempore ibi* adhuc fuerunt cognita Dicit enim *Gen.* II. 10. *fluvium illum antiquiſſimum in Regione EDENIS*, non longe ab horto DEI, quem irrigaverat, diviſum fuiſſe *in quatuor Capita*, vel *fontes ſcaturientes:* qui *per quatuor alveos*, & *diſtinctos fluvios aquam ſuam in ſinus ampliores*, & *maria effundebant.* Quos *quatuor fluvios* iſtis nominat *Moſes* nominibus, quibus *ſuo* adhuc *diſtinguebantur tempore.*

VII.

In diſquiſitione horum *quatuor fluviorum* in-

incipiam ab eo, qui inter eos notiſſimus, atque minimæ obnoxius eſt dubitationi: etiamſi apud *Moſen quarto*, id eſt *ultimo* demum loco recenſeatur. Eſtque hic *Euphrates.* Nemo enim interpretum dubitat, quin nomen *Euphrates* ſit ex his *Moſis* verbis, הוא פרת, natum. Vocaturque hic fluvius in Sacra Scriptura paſſim פרת *Phrat.*

VIII.

Euphrates habet ſuos fontes *in illa Borealiori Aſiæ Regione*, quæ apud Græcos & Latinos Geographos dicitur *Armenia.* Unde aquas ſuas devehit *ad latus occidentale* iſtius *Peninſulæ*, quæ Hebraice dicitur, ארם נהרים *Aram Naharaim*, *Aram duorum fluviorum*; & Græce *Meſopotamia.* Unde per aliquot centena milliaria dilabens, ſuas *in ſinum orientalem Maris rubri* (qui apud Geographos *Perſicus* dicitur *Sinus*) *effundit aquas.* Atque ita, quemadmodum *ripa ſua Orientali Meſopotamiam*; ſic *ripa ſua Occidentali regionem alluit illam*, quæ *inter Occidentales Aramæos* (quos recentiores Græci *Syros* vocant) diviſa; ac *ſuis cognominibus diſtincta* fuit.

IX.

Hiddekel, qui apud *Moſen tertius* horum fluviorum eſt, quamvis in contextu *Moſis* videatur *Obſcurior* fluvio, *Piſchon; ſecundo* tamen videtur a nobis debere excuti loco. Quia tantum non omnes in eo conſentiunt Interpretes, quod *Hiddekel* apud *Moſen* hic loci alius non ſit fluvius, niſi *Tigris*: qui ſuos quoque habet *fontes in Armenia*, ubi ad *orientale latus peninſulæ*, quæ *Meſopotamia* dicitur, defluens, *Aſſyriam*, atque alias *Orientis Regiones a Meſopotamia dirimit;* ac, poſt longum in Auſtrum delapſum, ſe *cum Euphrate* conjungit; & communi alveo in eundem ſe cum *Euphrate* effundit *ſinum Perſicum.* Cur vero hic fluvius, apud Geographos *Tigris* dictus, in *primæva antediluviana lingua*, vel *in Veteri Aramæa lingua* (quæ *omnium profanarum poſtdiluvianarum* linguarum *communis mater* fuit) dictus fuerit *Hiddekel* (quo nomine adhuc Danielis tempore cognitus fuit, vocat enim eum *Dan.* X. 4. magnum fluvium) non adeo liquidum videtur. Quia *primævæ antediluvianæ linguæ nullum* prorſus exſtat *monumentum*, ex quo illa cognoſci queat; atque *Veteris Aramææ linguæ* vix uſquam aliquod ejus amplius

plius exſtat vocabulum, vel locutio. * In *contextu* ſaltem *Hebræo-Biblico* id adeo rarum eſt, ut, (niſi quis exiſtimet, locutionem, פדן ארם, *Paddan Aram*, quæ *Labanis Patriæ nomen proprium* facta eſt, &

* [*In contextu ſaltem Hebræo-Biblico id rarum eſt.*] Si qua *vocabula Veteris Aramææ linguæ* ex ſuis poſſent erui ruderibus, ea in Aſſyriacis, vel Chaldæis deberemus offendere monumentis. Quæ cum nuſquam fere (Paraphraſes Sacræ ſcripturæ Chaldaicas ſi excipiamus) amplius exſtent, paucis illis, quæ in contextu Hebræo-Biblico videmur offendere, contenti eſſe debemus. Qualia præter פדן ארם, & יגר שהדותא, videntur quoque fuiſſe nomen antiquorum Aramæorum Idoli, תרפים *Gen.* XXXI. 30. NB. 34. 35. & nomen כשדים, antequam fuit *populi*, aut *gentis diſtinctæ* nomen. Prima hujus vocabuli, כשדים, notio antiquiſſimis temporibus fuit, quod ſignificaret *Aſtrologos*, vel *Divinatores*. Quam notionem hoc vocabulum adhuc habuit tempore Nebucadnezaris. *Dan.* I. 4. II. 2. 4. Videntur autem hi כשדים, *Aſtrologi*, vel *Divinatores* tempore Patriarcharum idololatricorum *Joſ.* XXIV. 14. 15. in Meſopotamia ſuum habuiſſe *Obſervatorium:* quod dicebatur אור כשדים, *Ur Casdim* [Chaldæorum] *Gen.* XI 28. Videturque, Nachor, frater Abrahami, (qui inter illos idololatricos fuit Patriarchas *Joſ.* XXIV. 14. 15.) ex veneratione, qua hos כשדים *Aſtrologos*, & *Divinatores* proſequi ſolebat, filium ſuum quartum nominaſſe, כשד, *Gen.* XXII. 22. Qui כשד, *Cheſed* factus eſt Pater, כשדים, quos Græci, & Latini vocarunt *Chaldæos*. Atque ita, tempore Macedonum, multa antiquiſſima hominum, Populorum, ac Regionum perdidimus nomina.

& *Aram Campeſtrem* ſignificavit. Conf. *Hoſ.* XII. 13. eo referendam eſſe) præter locum, qui exſtat *Gen.* XXXI. 47. Ubi Laban *acervum teſtimonii*, quem Jacob *Hebraice* nominavit, גלעד, ſermone *Aramæo veteri* vocavit, יגר שהדותא, nullum ejus inveniamus veſtigium. Si qua vero *veteris Aramææ linguæ* vocabula adhuc alicubi ſuperſint, illa nobis ſuppeditare deberent linguæ *Aſſyriaca*, (Cujus uſus quoque videtur exoleviſſe) & *Chaldæa*, in qua eadem hæc Labanis vocabula, eadem adhuc notione ſuperſunt. Dubitare enim non poſſumus, quin lingua *Aſſyriaca*, primum; & *Chaldæa* deinde, *tempore* ſcilicet *Abrahami* & *Nachoris*, quoque facta ſit (Conf. *Gen.* X. 22. & XXII. 22.) *veteris Aramææ Linguæ dialectus.* Hinc enim eſt, quod 2 *Reg.* XVIII. 26. *Eſaj.* XXXVI. 11. & *Dan.* II. 4. vocentur *lingua Aramæa.*

X.

Pergo ad fluvium, qui in *Moſis* recenſione eſt *primus*, & *Piſchon* dicitur: quia facilius detegi poſſe videtur, quam alter ille, qui apud *Moſen ſecundus* eſt, & dicitur *Gihon.* * Si enim liceat aliquam ex litterarum

* [*Si enim liceat ex litterarum convenientia facere con-*





rum convenientia facere conjecturam (a cujusmodi conjecturis ego cæteroquin alienior esse soleo) eam hic quodammodo admitti posse censeo. Veteres enim Geographi agunt *de fluvio*, quem vocant *Phasin*, qui suas æque habet radices & fontes, ubi antiquissimus ille EDENIS fluvius olim fuit, ac fluvii *Euphrates* & *Tigris* suos ibi ha-

conjecturam.] Eruditissimi Viri, qui nunc in Anglia *Historiam Universalem* scribunt, hanc quoque argumentandi rationem *ex litterarum aliqua similitudine* ad Veterum locorum situm detegendum, reprobant. Verba eorum recito ex Doctiss. Westerbani Versione. *Iste. Boek Iste. Hoofdst. pag.* 153. Sommige van de latere Schryvers hebben, misleid *door de gelykheid der naamen*, gemeent, dat de naam van *Pison* in dien van *Pasitigris*, of gelykse, om hunne stelling te begunstigen, liever willen stellen, dat hy in dien van *Pisotigris* sy overgebleven, terwyl andere het voor ongetwyfeld houden, dat het de *Phasis* is, gelykse, wegens de *gelyke betekenis der namen* den *Aras* voor *Gihon* houden. Gemerkt deese woorden *by de Persianen* gebruykt worden, om in het algemeen *eene groote rivier* te betekenen. Dog (seggen deese Opstellers deeser Algemeene Historie) op die wyse sou men *Eden* over al; en daar men wil, konnen stellen: dewyl men in alle landen naamen souw konnen vinden, welke daarmede, 't sy *in betekenisse*; of *klank* over een komen, en indien men *diergelyke bewysen*, sonder eenige bepaaling, toestaat, sou het niet beswaarlyk syn aan te toonen, dat, gelyk sommige gestelt hebben, *Amerika* door *Noachs* nakomelingen onmiddelik bevolkt is. *Pag.* 155. noemense *de gelykheid van naamen* eene *bedrieglike leids-vrouw.*

habuerunt fontes. Ad litteras nominis *PISCHON*, & *PHASIS* si attendamus, inter eas tantam invenimus convenientiam, ut ex primævo antediluviano, vel *Veteri Aramæo* vocabulo, *PISCHON*, progressu temporis facile nasci potuerit vocabulum, vel nomen *PHASIS*.

XI.

Quod si vero *Mosis Pischon* habeatur *pro eodem fluvio*, qui apud Veteres profanos Geographos dictus est *Phasis*, agnoscere quidem debemus, fluvium *Pischon suos fontes*, æque habuisse ac *Euphratem* & *Tigrim*, ubi *antiquissimus ille* EDENIS *fluvius* olim fuit; sed affirmare pariter debemus, *fluvium hunc Pischon* plane contrario cursu suas devexisse aquas, ac faciunt *Euphrates* & *Tigris*. Hi enim devehunt aquas *in austrum*, ubi eas effundunt in sinum Persicum. Cum fluvius *Phasis* e contrario suas deducit aquas *in borealem Asiæ partem*, atque *in mare nigrum*, quod *Pontus Euxinus* dicitur, effundit. Verum contraria hæc aquæ fluxio suspectum nobis non videtur reddere posse, quod *fluvius Pischon* apud *Mosen* sit *idem fluvius*, quem Geographi veteres vocarunt *Phasin*. Dicit enim *Moses* de fluvio *Pischon*, quod circumfluat, vel per gyrum

gyrum alluat regionem, חוילה, Chavilah dictam; illamque esse auriferam, אשר שם הזהב: aurumque ejus esse bonum. *Gen.* II. 11. 12. Antiquissimis enim temporibus, quæ antecesserunt & contigerunt *Mosis* ætatem, Aquilonem habuerunt pro Regione, unde afferebatur aurum. *Job.* XXXVII. 22. dicitur: מצפון זהב יאתה, *ex Aquilone venit* [affertur] *aurum*. Confer porro *Job.* XXVIII. 1---3. Ubi *aquilonaris plaga* non obscure dicitur *metallifera*; & aurifera. (Adde *Jer.* X. 9. XV. 12.) Ibi enim DEUS posuit tenebris terminum, vel finem. Atque hinc nata videtur illa *de Argonautarum expeditione fabula*. Voluerunt enim ex hac ipsa, *Ponto Euxino* vicina, regione *vellus illud aureum*, quo scilicet pulvereum ex aquis expiscabantur atque attrahebant aurum, auferre. Accedit, quod Geographi Veteres in hac ipsa regione nobis exhibeant *fluvium*, qui dicitur Ophis (forsitan scribendum Ophir) qui *fluvius* quoque in *Pontum Euxinum*, quemadmodum & *Phasis*, influit. Sed de regione *Chavila*; & fluvio Ophis, vel Ophir, distinctius agam in proxime *sequenti Dissertatione*. Ubi ostensurus sum, hanc *Chavilam in boreali Asiæ parte*, prope *Pontum Euxinum* neutiquam *confundendam* esse *cum illa Chavila*, quæ erat *e regione Ægypti*, *in australi Asiæ parte*; ac

de fluvio *Ophir* ex inſtituto diſtinctius agam in mea, *de Salomonis & Hirami navigatione Ophiritica*, Diſſertatione.

XII.

Reſtat fluvius, qui in *Moſis* recenſione eſt *ſecundus:* quem, quia inter omnes hos fluvios quam difficillime indicari poteſt, ultimo conſiderandum cenſui loco. *Moſes* vocat eum *Gen.* II. 13. *Gihon.* De hoc fluvio dicit quoque *Moſes*, quod non minus quam tres reliqui ortus ſit ex *antiquiſſimo illo* EDENIS *fluvio.* Ille enim, inquit *Gen.* II. 10. *Moſes*, *inde* diviſus fuit, *in quatuor capita* vel *fontes.*

XIII.

Fluvios autem illos, qui præter *Euphratem; Tigrim;* & *Phaſin*, iſtic loci ſuos habuerunt fontes, ſi apud Veteres quæramus Geographos, nullos alios invenimus præter fluvios *Cyrum*; & *Araxin:* qui aquas ſuas quoque *in boream*, ſed magis *orientem* verſus, quam facit *Phaſis*, deducunt, ac tandem in illud infundunt mare, quod *Caſpium* dicitur.

XIV.

XIV.

Hic vero ſi conferamus litteras vel *primævæ antediluvianæ;* vel *Veteris Aramææ linguæ* nominis *Gihon*, cum literis nominis, *Cyrus*, vel *Araxes*, nullam plane in iis offendimus convenientiam: ex qua *per conjecturam*, ut ut longiſſime petitam, aliquid elicere queamus. Nec datur aliquid certi, in ulteriori hujus fluvii deſcriptione apud *Moſen*, quod nos valde juvare queat.

XV.

De *Piſchone* vidimus, Regionem, quæ dicitur *Chavila*, ejusque *auriferam indolem*, nos determinaſſe, ut in *Piſchone* agnoſceremus fluvium, qui apud Geographos dicitur *Phaſis.* Sed hic hæremus plane, & contextus Moſaicus videtur nobis nihil ſuppeditare, quo detegere queamus, quo nomine Veteres Geographi hunc fluvium, *Gihon*, nominaverint: Dicit quidem *Moſes Gen.* II. 13. hunc fluvium, *Gihon*, ambiviſſe, vel per gyrum alluiſſe terram *Chus.* Verum hæc verba *Moſis* plurimos induxerunt Interpretes, ut oſtium hujus fluvii, *Gihon*, quæſiverint non *in boreali Aſiæ parte, ad mare Caſpium;* ſed

in auſtrali aliqua Aſiæ parte. Terra enim *Chus*, quæ *à Chuſo*, *primo filio Chami* nomen accepit ſuum, fuit *in auſtrali Aſiæ parte*, quæ progreſſu temporis (tempore ſcilicet *Regum Iſraelis*) dici cœpit *Arabia;* ſuntque ejus incolæ ab eo tempore dicti *Arabes*, id eſt, *mixti homines:* quia ex nullo certæ alicujus Gentis parente ſuum habuerunt ortum; ſed ex omni ſcelerum colluvione nati, in unum populum, atque plures nefarias & atrociſſimas coaluerunt ſocietates. Atque hi prædationibus ſuis ac vicinorum oppreſſionibus terminos ſuos longe lateque adeo protulerunt, ut *Arabia* tempore *Macedonum* cœperit dividi in *Arabiam Deſertam;* Petræam; & Felicem. Cujus *Arabiæ diviſionis*, vel *diſtinctionis* (id quod hic in tranſitu monendum cenſui) nulla *in libris ſacris* exſtat mentio. Erat enim *biblicus librorum Veteris Teſtamenti canon* per illuſtrem illam Synagogam judæorum magnam, quæ *in Simeone juſto* exſpiravit, jam *definitus*, cum *Macedones* vaſtam, ac ſuo tempore jam latius patentem *Arabiam* in *tres* ejusmodi, ſuis cognominibus diſtinctas, diviſerunt *Arabias.*

XVI.

XVI.

Hæc vero quamvis nobis perſuadere videantur fluvii *Gihonis* exitum *in auſtrali Aſiæ parte* quærendum eſſe, impetrare tamen a me non poſſum, ut huic aſſentiar ſententiæ. Non, quod veteres Geographi *nullum* nobis exhibeant *fluvium*, qui *radices ſuas*, aut *fontes ſuos* habens, ubi *antiquiſſimus ille* EDENIS *fluvius* olim fuit, per tam longum aliquot centenorum milliarium decurſum terram *Chuz* ambit; & ſe *in aliquem Auſtraliorem ſinum*, vel *mare* effundit. Potuiſſet enim ejusmodi *fluvius*, progreſſu temporis, poſt *Moſis* tempora, æque arenis ita obrui, ut ejus nullum amplius exſtiterit veſtigium: ac *antiquiſſimus ille EDENIS fluvius* ita *ante Moſis* ætatem obſitus fuiſſe videtur. Sed ſuſpenſam hic tenet mentem meam *conjectura* (licet ego a conjecturis cæteroquin alienior ſim) quam mihi videor ex *Gen.* X. 8---10. elicere poſſe.

XVII.

Chus, filius *Chami Gen.* X. 6. 7. occupavit ex diviſione terræ *auſtralem Aſiæ partem*, quæ tempore Regum Iſraelis dici

demum cœpit *Arabia*. Hujus *Chuzi* filius, vel nepos fuit *Nimrod*, *Gen.* X. 8. qui in hac *auſtrali Aſiæ parte* ſuam ex *Chuzo* habuit originem. Hic vero, tanquam vehemens Venator, ex patria ſede egreſſus, recepit ſe ad magis *borealas Aſiæ partes*, ut ibi ſibi firmaret ſedem: condiditque ibi Regnum, cujus initium erat *Babel*, cui addidit *Erech*, & *Accad*, & *Calne* in terra *Sinear* *Gen.* X. 10.

XVIII.

Dubitare non poſſumus, quin *Nimrod*, ubi hic ſibi firmaverat Regnum, hoc quoque in Regno ſuum propagaverit genus: diſtribuens Regni ſui regiones *inter filios*, ac *nepotes* ſuos. Inter quos ſi habuerit vel *filium*, vel *nepotem*, quem *de nomine patris*, vel *avi ſui* vocavit *Chuz*: potuit & *hæc Regio de nomine* hujus *Chuzi*, *qui filius*, vel *nepos*, *Nimrodi fuit*, hoc nomen *Chuz* accepiſſe: quemadmodum *Cain* in *Nod* condidit urbem, quam de nomine filii ſui vocavit *Hanoch*. Atque ita potuit tempore *Moſis* cognita fuiſſe & *in boreali*, & in *auſtrali Aſiæ parte* regio, quæ dictæ fuerunt *Chuz*: quemadmodum ejus quoque tempore, in utraque hac *Aſiæ* parte, & *boreali*, & *auſtrali*, cognita fuit regio, quæ

quæ *Chavila* dicta fuit. (Vide *pag.* 133.) Secundum hanc autem conjecturam potuit fluvius *Gihon* (qui apud Geographos dicitur vel *Cyrus*, vel *Araxes*) tempore *Moſis*, ambiviſſe, vel per gyrum alluiſſe hanc *borealem regionem Chuz*, atque inde ſe effudiſſe *in mare Caſpium*. Videtis *conjecturam meam*, quam tamen nemini obtrudere volo.

XIX.

Ex hiſce, quæ hactenus diſputata ſunt, liquere poſſe videtur, Regionem EDEN, nobilem admodum atque *amœnam* valde fuiſſe *Armeniæ* partem: utpote in qua horum *quatuor fluviorum radices* & *fontes* reperti fuerunt, quos *Moſes* affirmat ſuo tempore, tanquam qui ex *antiquiſſimo* EDENIS *fluvio nati* erant, adhuc cognitos fuiſſe.

XX.

In hac vero EDENIS regione, verſus Orientem, condidit, atque plantavit *inſtructiſſimum ſuum hortum* DEUS. Id quod procul omni dubio factum eſt, cum DEUS *tertio creationis die*, efficaciſſimo ſuo juſſu effecit, ut terra progerminaret omne genus herbarum, & arborum, quas fecit DEUS,

DEUS, *antequam* in terra erant *Gen.* I. 11. 12. *coll. c. Gen.* II. 5. 6. Hunc vero hortum plantaverat DEUS in hac, ſuis jam ſatis diſtincte deſcripta terminis, regione, quæ *Moſis* tempore adhuc *Eden* dicta fuit: abundabatque hic hortus *omni herbarum*, atque *arborum*, quas DEUS ex terra prodire fecerat, *genere*: inter quas *duæ* earum *ſpecies* diſtinctiſſimæ erant, quarum altera dicta fuit arbor, vel arbuſtum *vitæ*; atque altera, arbor, vel arbuſtum *cognitionis boni & mali Gen.* II. 9. De priori dicitur, quod fuerit in medio iſtius horti (ad quod alluditur *Apoc.* II. 7) & quod vocata fuerit *arbor*, vel *arbuſtum Vitæ.* Eſtque procul dubio ita nominata, quia, dum Adam *per obedientiam*, quam ſecundum perſeverantiam boni operis, DEO ex fœdere præſtare debuit, ſibi confirmaret *vitam ſuam ſpiritualem; per eſum fructus hujus arboris*, vel arbuſti, ſibi *vitam ſuam corpoream confirmaret*, atque ab omni damno, & *morbis* tutam præſtaret. (Conf. *Gen.* III. 22. 24.) Alterius vero *arboris*, vel arbuſti denominatio, qua dicta fuit, *arbor Scientiæ Boni & Mali*, ſignificavit e contrario, quod, quemadmodum Adam *per transgreſſionem hujus fœderis* ſibi, ac omni omnino poſteritati ſuæ *mortem* contraheret *ſpiritualem*; ſic *per eſum fructus hujus arboris vetitæ* ſibi ac poſteritati ſuæ contraheret *omne morborum genus; mortalitatem;* ac ipſam denique *mortem corpoream. Gen.* II. 17. *col. c. Gen.* III. 11. Atque ita *ex eventu* innotuit Adamo, ſe *per eſum hujus vetiti fructus* factum eſſe *originem* & *fontem omnis mali*, quod redundabat in univerſum genus humanum, per naturalem ex eo excitandum generationem: *ex promiſſione vero Seminis Mulieris* intelligebat, illud futurum *fontem*, & *originem omnis boni*, quod redundaret *in omnes electos*, (quos DEUS ſcripſerat ad vitam,) *per regenerationem ſpiritualem ex eo ſemine mulieris.* Conf. *Gen.* III. 22. *Rom.* V. 14. 1 *Cor.* XV. 45-49. Et expende quæ *in Diſſertatione mea Inaugurali de Utroque Adamo; & in Comment. meo Belgico de veris Dei Viis Libr.* VI. *Cap.* II. *pag.* 425. de hoc myſterio tradidi.

XXI.

Aditus in hunc hortum videtur tantum unicus fuiſſe. Cum enim DEUS hominem, quem in eo ad eum colendum & cuſtodiendum collocaverat; (*Gen.* II. 15.) ex eo propter peccatum ac fœderis transgreſſionem ejecerat, arcebat eum aditu ad arborem vitæ per Cherubim, armatos flammante gladio, quos conſtituit DEUS *ab Oriente*

te iſtius horti Gen. III. 23. 24. *Arcebat* autem DEUS *hominem aditu ad arborem Vitæ*, ut *ne fontem mortalitatis*, quem *eſu fructus arboris vetitæ* in corpore ſuo *aperuerat*, *eſu fructus arboris vitæ* iterum præcluderet, & *viveret in æternum.* Id quod *cum Decreto Electionis & Præteritionis*, quod *Triunus DEUS ſecundum conſilium & beneplacitum Voluntatis ſuæ Eph.* I. 4. 5. 9. 11. ipſa in æternitate fecerat, componi neutiquam potuiſſet. Confer quæ *in Comment. meo Belgico Libr.* VI. *Cap.* II. *pag.* 425--429. docuimus. Fuit itaque locus exilii Adamici huiç horto *ab Oriente*, in quo poſt lapſum ſuum, ſuum propagavit genus, ut inde progreſſu temporis *orbem antediluvianum*, ac deinde etiam *poſtdiluvianum* interventu Noachi impleret. (Conf. *Gen.* I. 28. IX. 1. cum *Act.* XVII. 26.) Sed ab hoc Adamici exilii loco adhuc *magis in Orientalem plagam*, ſuum poſt fratricidium invenit locum *Cain*, quæ regio inde accepit nomen ſuum *Nod:* atque in ea, ut ſupra *pag.* 138. vidimus, *condidit Cain urbem*, quam *de filii ſui nomine* nominavit *Chanoch. Gen.* IV. 16. 17.

XXII.

Tantum *de ſitu Edenis*, & *horti*, quem DEUS ipſe in ea condidit. Hoc unum addendum cenſui, me non ſine magna voluptate vidiſſe, cum Academiæ noſtræ Typographus Samuel Lugtmans facultati noſtræ recenſendam exhiberet *belgicam Vener. Calmetii Dictionarii Biblici verſionem*, Eruditiſſimum *Calmetium* ab hac mea *de ſitu Edenis* ſententia non plane alienum eſſe. Id quod me mea hac in ſententia valde confirmat. Mirari enim ſatis non poſſum, eruditiſſimi *Calmetii* accuratiſſimum in plurimis ſuis aſſertis judicium; ut & honeſtam plane, ubi ab aliis diſſentit, modeſtiam. Non amo illos, qui faſtoſo Anteceſſorum contemtu ſibi nomen & famam condere moliuntur: quamque ſibi comparare non poſſe putant, quamdiu *Anteceſſorum nominis celebritas* agnoſcitur, ac venerabilis eſt. Hinc de iis agunt, acſi in ſua, quam auctoritate publica profeſſi ſunt, arte & diſciplina, *fungi*, ac parum aut nihil exercitati fuiſſent: atque acſi illæ artes & diſciplinæ, niſi hi jactabundi optimorum Virorum laceratores manum admoverent, ad eas ex tenebris, quibus obſitæ ſunt, eruendas, atque nova ſua, quam jactant, illuſtrandas luce, jacerent adhuc, ac nullius plane eſſent uſus. Placent mihi valde verba Celeberrimi & Venerandi Viri *Joannis Heinrici Michaelis in Præfatione*, quam ſuæ

ſuæ, nunquam ſatis laudandæ, *Bibliorum Hebræorum Editioni* præmiſit *Cap.* III. §. V. *pag.* 18. „Neque enim probamus, inquit, „ eorum ingenium, qui in magnis Viris nihil, niſi *defectus* & *nævos* obſervant.

FINIS.

III.
DISSERTATIO HISTORICA;
DE
LINGUA PRIMÆVA:
EJUSQUE PROPAGATIONE;
Atque inde natis
VARIIS AC MULTIPLICIBUS
DIALECTIS.
SECUNDUM
NARRATIONEM MOSIS
Geneſ. Cap. X^mo. & XI^mo.

DISSERTATIO HISTORICA DE LINGUA PRIMÆVA: EJUSQUE PROPAGATIONE; Atque inde natis VARIIS, AC MULTIPLICIBUS DIALECTIS. SECUNDUM NARRATIONEM MOSIS

Geneſ. Cap. X^mo. & XI^mo.

CAPUT PRIMUM.

DE LINGUA PRIMÆVA ANTEDILUVIANA: Ejusque PROPAGATIONE; atque inde natis VARIIS, AC MULTIPLICIBUS DIALECTIS.

I.

PRimævam *Linguam* in domo ADAMI, antequam ea in diſtinctas diviſa fuit familias, locum atque uſum habuiſſe ſuum, pro certo atque indubitato aſſumi poſſe, & debere, cenſeo.

II.

Quemadmodum & extra dubium positum est, *Adamum primævam hanc linguam*, atque *omnia ejus & singula vocabula* (ut omnia, quæ possidebat, & quibus exornatus, atque auctus erat) *ab ipso accepisse DEO*. Ut adeo *omnia hæc primævæ linguæ vocabula, respectu tam notionis; quam structuræ eorum, divinæ* plane & *originis*, atque *auctoritatis* fuerint.

III.

Ubi vero *Adami domus* in *distinctas* cœpit dividi *familias*, fieri non potuit, quin *illa primæva Adami lingua debuerit dividi & distingui* in *varias*, ac *multiplices dialectos*.

IV.

Ad has vero *dialectos* ex primæva illa lingua (quæ *divinæ* prorsus *originis* atque *auctoritatis* fuit) *formandas* ipsum *Posterorum Adami ingenium* deinde (ut causa secunda, a DEO, tanquam causa prima, in actum deducta) multum conferre potuit. Ut adeo *hæ dialecti, ex primæva* elicitæ ac formatæ,

tæ, non ita *immediate* (sit venia vocabulo) a DEO suam acceperint *originem* atque *auctoritatem*, ac ipsa *Adami primæva lingua*. Interventu enim *ingenii humani*, tanquam *causæ secundæ*, DEUS *ex primæva illa lingua*, secundum primævæ illius linguæ *analogiam* has derivavit ac formavit *dialectos*.

V.

CAINI, ut inde incipiam, Familia, quæ post fratricidium sedem suam quæsivit, & sibi firmavit, in regione NOD: quæ EDENI erat *ab Oriente*. Ubi *Cain* condidit urbem *Hanoch*, ita de nomine filii sui nominatam, *Gen.* IV. 16. 17. Hic invenit procul omni dubio Cain multa, quæ in patrio, *Adami* scilicet, solo nunquam viderat: quæ proinde *novis* debuerunt nominari *nominibus*: quemadmodum non minus verosimile videtur, *Caini* Posteros ista quoque in regione multis caruisse, quibus in patrio, *Adami* videlicet, abundaverant solo. Quorum per consequens nomina, vel omnem suum progressu temporis *perdiderunt usum*; vel ad res, quæ cum deperditis aliquam videbantur habere similitudinem, translata sunt: unde ejusmodi vocabulorum necessario nasci debuit *homonymia*: quemadmodum quoque inde *synonyma* multa suum ac-

acquiſiverunt uſum vocabula. Ad quod cum temporis progreſſu *variata* quædam acceſſerit *pronunciatio*, nova *ex Primæva lingua* nata eſt *Dialectus*, quam *Cainiticam*, *ex primæva Adami Lingua* natam, merito appellamus.

VI.

Antequam ad SETHI pergam Familiam, paucis agam de reliquis Adami familiis. *Genuit* enim *Gen.* V. 4. *Adam* poſt Sethum *filios* & *filias*. De quorum omnium & ſingulorum *Familiis* procul dubio idem affirmandum eſt, quod jam de *Caini familia* demonſtravimus: linguam videlicet *primævam Adami* ad eas, atque per eas propagari non potuiſſe, quin in ſingulis illis familiis, ac regionibus *novas* faceret *dialectos*.

VII.

Ad SETHI *Familiam*, ejusque Propagines quod attinet, hæ procul omni dubio, in ſuis quoque, per quas ſe diviſerunt, manſionibus, talia invenerunt, quæ in *patrio Adami ſolo* reperta non fuerunt; atque quibusdam ibidem caruerunt, quibus Adami domeſtici abundarunt. Unde factum, ut pri-

primæva Adami lingua progreſſu temporis inter *Sethitas*, quoque in *varias* atque *multiplices* valde *diviſa* fuerit *dialectos*.

VIII.

Ex his dialectis, in quas *primæva Adami lingua inter Sethitas* diviſa fuit, fuit & *illa dialectus*, quæ *ad Noachi* propagata fuit *familiam*; atque in ea ſubſtitit *uſque poſt diluvium:* quamdiu ſcilicet hæc *Noachi domus*, *poſt diluvium*, in *diſtinctas* nondum diviſa fuit *familias*. Atque ita hæc *linguæ primævæ Adamicæ* dialectus, quæ *per lineam ſanctam* ab *Adamo per Sethum ad Noachi domum* propagata fuit, *ex primæva Adami lingua plurimum* non tantum *retinuit*, (unde *majorem longe cum illa primæva Adami lingua* videtur conſervaſſe *convenientiam*, quam de *Cainitica*, vel *reliquorum Adami filiorum dialecto* ſuſpicari queamus) ſed facta quoque eſt lingua *primæva poſtdiluviana*. Ex qua *omnes* & *ſingulæ linguæ*, aut *dialecti* progreſſu temporis natæ; & per univerſum terrarum orbem propagatæ ſunt. Quæque ideo quoque omnes & ſingulæ *ex hujus linguæ primævæ poſtdiluvianæ genio aliquid* videntur retinuiſſe.

CAPUT SECUNDUM.

De LINGUA PRIMÆVA POST DILUVIANA:

Ejusque PROPAGATIONE; atque inde natis

VARIIS, ac MULTIPLICIBUS DIALECTIS.

Dialectus illa, quæ *ex primæva Adami Lingua* ad *Noachi per lineam ſanctam propagata* fuit *domum*; atque inde *majorem cum primæva Adami lingua* retinuit *convenientiam*, quam *reliquæ Dialecti antediluvianæ;* ac *omnium linguarum & dialectorum poſtdiluvianarum* facta eſt mater, ſtatim, poſtquam *Noachi domus in diſtinctas*, poſt diluvium, ſuas *diviſa fuit familias*, *in tres principes* dividi cœpit *dialectos:* quas ſecundum *trium Noachi filiorum nomine* appellare poſſumus *dialectos*, *Semæam; Chamæam*; & *Japhethæam:* easque conſiderare tanquam *tres principes linguas*, quæ ſingulæ, inter illorum poſteros *varias* valde & *diverſas* progreſſu temporis, ob dictas ſupra ad *Cap.* I. *pag.* 149. 150. rationes, fecerunt *dialectos.*

SE-

SECTIO PRIMA

DE

LINGUA JAPHETHÆA.

I.

Moſes incipit *diviſionem Terræ*, *Nationum*, & LINGUARUM *Gen.* X. *a Japheti poſteris.* Hos autem occupaſſe *Aſiam minorem*; ac *Aſiæ partem borealiorem*; ut & *Europam* pro certo aſſumi ſolet. Quamvis, *ubi ſinguli Japheti filii* genus ac *poſteritatem ſuam* propagaverint, adeo certo ac diſtincte indicari nequeat. Videntur tamen *quædam poſterorum ejus nomina*, illorum quodammodo *ſedem in Aſia minori*; ut & *in Aſia borealiori*; atque *in Europa* indicare.

II.

De *Javane* vix dubitare poſſumus, quin ex eo orti ſint *Jones*, unde progreſſu temporis certa *Aſiæ minoris* regio ad oram maris Ægæi ſuum accepiſſe videtur nomen:

est enim *Jonia* dicta. De *Magogo*, *Medai*, & *Meschech* videtur quoque certum, quod sedem suam habuerint *in borealiore Asia:* quemadmodum etiam *insulæ maris*, & *Europæ* quædam partes a *Japheti* posteris occupatæ videntur.

III.

Qui hic confidentius in dividendis his *inter Japhetitas* regionibus versantur, ingenio suo nimis indulgent; ac rem obscurissimam, longe petitis, nimiumque contortis, & vexatis etymologiis, atque nullo tibicine suffultis *conjecturis* illustrare contendunt. Recte dixit Clarissimus *Cellarius*, his in litteris exercitatissimus, in sua *de Initiis Cultioris Germaniæ Dissertatione* §. XI. (ubi *Bocharti* conjecturam de *Askenats*, acsi inde *Ascanius*, & *Ascania*, in Phrygia; ut & *Pontus* suum cognomen, *Euxinus* haberent expendit) „ Sed *argutius*, inquit, „ hac *ex litterarum similitudine conji-* „ *ciuntur*, quam *certo* ac *firmiter*, ut qui- „ libet intelligit, approbantur. Et §. XIII. & XIV. *Bocharti* itidem *conjecturam*, qua *Germanos ex Ægypto*, *ob rituum aliquam similitudinem*, derivandos censet, perstringens, dicit: „ *Speciosum* argumentum, „ fatemur: an vero certa origo *ex si-* „ *mi-*

„ *militudine sacrorum* probetur, non est „ ita manifestum, ut a pluribus adreptum „ fuit. Conf. notam ad *pag.* 131.

IV.

Ad linguam vero *Japhetæam* quod attinet, neminem in dubium vocare posse autumo, quin illa apud singulos Japheti posteros *in distinctas*, ac *pro regionum*, quas occuparunt, *indole* ac *varietate*, *diversas* abierit *dialectos*. Apud *Medos* haud dubie viguit alia dialectus, quam apud eos, qui in *Magog*, ac *Mesech* inhabitarunt: atque ab his *Asiæ borealioris dialectis* diversæ quoque censeri debent illæ, quæ *in Asia minori* obtinuerunt dialecti. Inter quas Cl. Cellarius *Lydorum* quoque recenset dialectum; & a quibus *Phrygum*, qui cum Ægyptiis de antiquitate disceptarunt, excludere non debemus. Progressu sane temporis hic auditæ fuerunt *dialecti*, *Jonica; Æolica; Dorica; Lycaonica; Act.* XIV. 11. & plures aliæ. Idem quoque de posteris *Japheti*, qui *in Insulas Maris*, & *reliquas Europæ partes* penetrarunt, procul dubio affirmandum est. Hoc autem certum adeo esse, ut quod est certissimum, ipse nos docuit *Moses Gen.* X. 5. his verbis: „ Ab „ his [*Japhetitis*] divisæ sunt *Insulæ gen-* „ *tium*

„ *tium* per terras earum ; איש ללשנו, cui-
„ que *ſecundum* LINGUAM SUAM : *ſe-*
„ *cundum Familias* ipſarum, *in gentibus*
„ *ſuis.*

SECTIO SECUNDA

DE

LINGUA CHAMÆA.

I.

Chami poſteros *Aſiæ partem auſtralem* occupaſſe; atque in ea, ut & *in Aſrica* ſuum propagaſſe genus dubitare nos non ſinit *Moſes Gen.* X. 6---20. Mentionem enim inter filios *Chami* fecit *Chuſi*, qui numeroſæ familiæ fuit pater : Inter hujus filios, qui *Chami* fuerunt *nepotes*, recenſetur *Havila :* cujus *regio*, de ſuo appellata nomine, *in auſtraliori illa Aſiæ parte* recte indicatur. Dixit enim *Moſes* & *Gen.* XXV. 18. de Iſmaelitis, quod habitaverint ab *Havilah* usque *ad Sur*, *quæ eſt e regione Ægypti :* atque *de Amalekitis*, qui Iſmaelitis vicini erant, dicitur 1 *Sam.* XV. 7. quod Saul eos percuſſerit ab *Ha-*

Havilah uſque quo venitur ad Sur, *quæ anteriora Ægypti* contingit. Ac 1 *Sam.* XXVII. 8. De Amalekitis porro diſertis dicitur verbis, quod „ *illæ ſint gentes*, *quæ* „ *olim habitaverunt terram illam*, *qua ve-* „ *nis Surem uſque ad terram Ægypti.* Cum jam *Ægyptus* & *Sur ad auſtraliorem Aſiæ* ſpectent *partem*, *in eadem illa* quoque *Aſiæ parte* illam quærere debemus regionem, quæ a *Chavila*, *Chuſchi filio*, ſuum accepit nomen.

II.

Inter hujus *Chavilæ* per filium Kaemam *nepotes* fuit *Gen.* X. 7. *Scheba*, quæ certæ regioni, inter *ſinum occidentalem* rubri maris, & ſinum ejus *Orientalem*, vulgo *Perſicum* dictum, ſuum dedit nomen. Cujus regionis Regina, diſertis dicitur verbis ſalutatum Salomonem veniſſe *ex auſtro*; atque *ex finibus terræ*. *Matth.* XII. 42. quia ejus regio *in illa auſtrali Aſiæ* parte ſinui maris fuit vicina.

III.

Videturque magnus ille filiorum ac nepotum *Cuſchi* numerus, effeciſſe, ut ſibi ac poſteris ſuis univerſam illam peninſulam, quæ

quæ *ſinum occidentalem maris rubri*, atque ejus *ſinum orientalem*, *Perſicum* vulgo dictum, inter interjacet, in hæreditariam vindicaverit poſſeſſionem. Cujus peninſulæ amplitudo tanta eſt, ut *Hiſpaniam; Galliam; Italiam; Germaniam:* ac *Belgium* ſuis facile comprehendere poſſet finibus.

IV.

Chamum ſuam in *his auſtralioribus Aſiæ* regionibus, & *per Africam* propagaſſe poſteritatem præterea liquet ex filio ejus *Mitzraim*. Qui haud dubie *Ægyptiorum* fuit pater; ut & ex *quarto ejus filio Canaan:* qui in regione illa, quæ ab ejus nomine *Canaan* appellata eſt, numeroſiſſimam *Chamo nepotum* ſegetem fecit. Inter quos *Chami nepotes* univerſa terra *Canaan* olim diviſa fuit. Horum catalogum nexuit *Moſes Gen.* X. 15---18. dicitque in hujus Catalogi fine, „ Et poſt ea diſperſæ ſunt familiæ *Cana-* „ *næorum*. Fuitque terminus *Cananæorum* „ a *Zidone*, qua venis *Gerarum*, *Gazam* „ usque, qua venis *Sodomam*, & *Gomor-* „ *rham* & *Adamam*, & *Zeboimum* ad *La-* „ *ſcham* uſque.

V.

V.

Ex iis, quæ modo de *Poſterorum Chami* diviſione per tot *Aſiæ Auſtralioris*, atque *Africæ* regiones, diſſerui, ſatis liquere exiſtimo, ex *Chamæa* quoque *lingua varias* atque *multiplices* progreſſu temporis enatas eſſe *dialectos*. Talis certe fuit *Chuſchitica*, quæ per ſubdiviſionem *in tam ampla* peninſula, *per tot Regiones*, in quas ea diviſa fuit, atque inter tot *Chuſchi filios*, & *nepotes*, ſuas procul omni dubio *admodum multiplices* quoque peperit ſubordinatas *dialectos*. Talis quoque fuit *Mitzraimitica* vel *Ægyptiaca:* ex qua progreſſu temporis natæ fuerunt *dialecti Coptica; Æthiopica*, atque aliæ *per Africam* diſperſæ dialecti. Talis denique, ne omnes & ſingulas recenſeam, fuit *Cananæa* lingua; ut & antiqua *Phœnicia*, quæ per eos, qui tempore *Joſuæ* fuga ſe receperunt in *Africam*, in *maritimas ejus regiones* translata, ibi mater linguæ *Punicæ* facta eſt. Hinc dixit *Moſes Gen.* X. 20. „ Iſti ſunt filii *Chami* in Familias ſuas, „ ללשנתם, *ſecundum* LINGUAS SUAS, „ in *terris ipſorum* per *gentes ſuas*.

SE-

SECTIO TERTIA

DE

LINGUA SEMÆA.

I.

SEM *per posteros suos* occupavit non tantu *Peninsulam illam*, quæ fluvios *Euphratem* ac *Tigrim* inter interjacet : atque in Scriptura *Aram Naharaim*, Aram duorum fluviorum; & apud Græcos Scriptores *Mesopotamia* dicta est: sed expandit ac propagavit quoque *posteritatem* suam *ultra ripas* & *Euphratis* & *Tigris*, Occidentem & Orientem versus.

II.

Quare inter *Semi* posteros quoque recensentur בני עבר *filii ripenses*, qui *ad citeriorem*, atque *ulteriorem horum fluviorum* incoluerunt *ripam*. Qui vocabulum, עבר, *Gen.* X. 21. accipiunt *pro nomine proprio filii Selah, nepotis Arphaxadi, abnepotis Semi*, cujus mentio facta est *Gen.* X. 24. frigidum admodum ac jejunum plane tribuunt sensum isti locutioni: *Sem fuit pater omnium filiorum Heberi.* Constabat enim satis, *Semum per Arphaxadum* & *Selam* fuisse *patrem Heberi*: quare nemo dubitare potuit, quin *Sem* quoque fuerit *pater omnium filiorum*, & *nepotum* & *Heber*. Id quod monere neutiquam necessarium fuit. Ejusmodi sane frigida, atque nihil *distincte* significantia enunciata nusquam in sacra occurrunt Scriptura. In ea enim nihil, nisi quod infinitam spirat Spiritus sancti sapientiam, offendimus.

III.

Notum autem satis est Hebraice doctis, vocabulum עבר usu suo significare, & *citeriorem* & *ulteriorem* fluviorum *ripam*; ut & *fluviorum trajectum*. Sic Jordanis ripæ dicuntur, עבר. Confer. *Deut.* I. 1. cum *Jos.* I. 14. 15. XXIV. 2. Hinc quoque, secundum Ligtfootum, nomen suum habuit locus, ubi Johannes baptizabat *Joh.* I. 28. Vult enim Ligtfootus, vocabulum, aut nomen *Bethabara*, esse ex בית עבר, *domus trajectus Jordanis*. Sunt, qui hunc Johannis locum conferunt cum *Jud.* VII. 24. Sed in hoc loco, *Jud.* VII. 24. non occurrit locutio, בית עברה;

עברה; ſed בית ברה. Num vero per linguæ Hebræo-Biblicæ leges nobis liceat, litteram, *y*, *per aphæreſin*, a vocabulo, ברה, hic *Jud.* VII. 24. abſciſſam eſſe, cenſere, valde dubito. Id quidem de litteris, quas Grammatici *Veheemantivas* vocant, ſæpe fit: ſed inter illas litteras non recenſetur littera, *y*. Hoc vero in litteris *Veheemanticis* aliquando fieri, eſto nobis exemplo vocabulum, אנשים, *Viri*. Ex quo per aphæreſin ש, א, natum eſt vocabulum, נשים, *Mulieres*. Quam obſervationem Cl. Danzio, qui noſtra ætate, omnium Hebræorum Grammaticorum, quod ſine aliorum invidia procul omni dubio dicere licet, princeps fuit, debeo. Qui vero vocabulum אנשים pluralem numerum אנוש pronunciant, illi inſolentem plane in linguam Hebræo-Biblicam induçunt *anamoliam*. Oportet enim pluralem numerum אנוש, ſecundum linguæ Hebræo-Biblicæ *analogiam* ſonare, אנושים vel, אנשים.

IV.

Quodſi jam conſideremus, *Elamum*, atque *Aſſurem*, *filios Semi*, occupaſſe, atque poſteris ſuis jure hæreditario reliquiſſe regionem, quæ erat *ultra ripam orientalem Tigris*; atque *Aramum*, *filium Semi* tranſiiſſe *in occidentalem Euphratis ripam*, atque ibi

ibi longe lateque ſuam propagaſſe, poſteritatem; dum *Arphaxad*, *filius* itidem *Semi*, genus ſuum ad Abrahamum, ejusque fratrem Nachorum uſque, *in ipſa illa Peninſula*, quæ his fluviis, *Tigre* & *Euphrate* claudebatur, continuerit: animadvertimus ſatis, hæc verba, [*Sem erat pater omnium filiorum ripæ*] qui ſcilicet *ad utramque horum fluviorum ripam* incolebant, ſignificantiſſimum, ac Spiritum ſanctum decentem plane fundere ſenſum. Ad *ripam* enim *occidentalem Euphratis* habuerunt hæreditariam poſſeſſionem ſuam *Arami filii*; atque *ad ripam orientalem Euphratis*, & *occidentalem Tigris* habitarunt *filii Arphaxadi*; ac ad ripam tandem *orientalem Tigris* manſionem habuerunt ſuam *Elamitæ* & *Aſſyrii*: qui omnes fuerunt *filii Semi*. Atque ita fuit *Sem pater omnium* eorum, qui ad horum fluviorum inhabitarunt *ripas*. Et hæc eſt ratio, cur hi omnes, *ſtylo Hebræo-Biblico*, dicantur בני עבר, *filii ripæ*, vel *riparum*, id eſt *ripenſes*, vel, vocabulo Pliniano, *riparii*. Nec inſolens eſt *Moſi*, *accolas fluviorum Euphratis*, & *Tigris* vocare עבר, Conſer. *Num.* XXIV, 24. Quemadmodum itaque *Orientales* vocantur בני קדם, *Gen.* XXIX. 1. *Job.* I. 3. ſic *Riparii*, qui ad ripas accolunt, dicuntur

tur בני עבר. Conf. *Num.* XXIV. 24. & Annotat. eorum, * qui in Anglia nunc Hiſtoriam ſcribunt Univerſalem *Tom.* I. *Cap.* I. *pag.* 364.

V.

* [*Qui in Anglia nunc Hiſtoriam ſcribunt Univerſalem*] Adſcribam Eorum verba ex Verſione Belgica Eruditiſſimi *Weſterbanii Tom.* I. *Cap.* I. *pag.* 397. Het is het algemeen gevoelen, dat de *Hebreeuwen* hunnen naam hebben gekreegen van den Aartsvader, *Heber*, den Soon van *Selah*: en veele ſoo *Joodſche* als *Chriſten* Schryvers geeven hem de eere, dat hy de ſtichter van hunnen naam en natie ſy geweeſt. Dog het is [ſeggen die Engelſche Schryvers] *waarſchynliker*, dat de naam van *Hebreen* aan *Abraham*, en ſyne nakomelingen gegeeven is, om dat ſe in hunne reiſe van Irak, oft Chaldæa na Syrien *over de rivieren* getrokken ſyn. Soo dat een *Hebreer*, volgens het grondwoordt niet anders betekent, dan iemand, welke van de *overſyde van den Euphrat* is.

Soo oude als hedendaagſe Schryvers hebben in gevolge van dit gevoelen, ook gemeenlik geloovt, dat de *Hebreeſche Taal* haaren naam van *Heber* gekreegen hebbe; en dat ſe in de verwarringe der Taalen *alleen in het geſlagt van den Aartsvader* [*Heber*] en *ſyne nakomelingen* ſy gebleeven. Dog gelyk *het eerſte gedeelte* deeſer ſtelling niet beter, dan de voorgaande gegrondt is: ſoo is *het laatſte met 'er daad valſch*: dewyl de *Hebreeſche Taal* ook ſulken volken gemeen geweeſt is, welke met het *Geſlagte van Heber* geene verwandſchap hadden: gelyk de *Phoeniciers*, oft *Canaäniten*, welke in *Abrahams* tydt de *Hebreeſche* taal, oft immers ſulk eene, *die 'er ſeer weinig van verſchilde*, geſprooken hebben.

En *in de Aantekeningen op deeſe plaats* wordt geſegt: Op de eerſte reden wordt geantwoordt, dat gelyk *Moſes daar van niets te kennen heeft gegeeven, de enkele overeenkomſt van naame niet genoeg is, om ſig voor dat gevoelen te verklaaren.* En wat dat ſeggen belangt, dat *Heber* de andere Aartsvaders in Godsdienſt en Verdienſte heeft overtroffen; oft dat de *Hebreeſche Taal* inſonderheid *van Hem* [*Heber*] en *ſyne nakomelingen geſprooken*, en *bewaard* is. *Dit ſtaat niet alleen in geſchil*, DEWYL DE SCHRIFTUUR *tot die ſtellingen* geene AANLEIDING *geevt.* Maar het is ook ten aanſien van het eerſte lid *valſch*: dewyl men *Heber* niet Godvruchtiger dan *Sem* kan houden: en dus is het ook ten aanſien van het laatſte gelegen. Naardien de *Hebreeſche Taal* ook van ſulke Volken is geſprooken, welke van ſyne nakomelingen niet geweeſt ſyn.

Op de tweede bewysreden wordt geantwoordt, dat het woord *Heber* in den voorgemelden text [*Num.* XX. 24.] ſyn opſigt niet heeft op *eenen perſoon*, maar op *eene plaats*: en dat de woorden by gevolge niet betekenen, *de Kinders van den Aartsvader Heber*; maar *het Volk*, 't welk aan de *overſyde der riviere* woont, te weeten den *Euphrat* oft *Tigris*, of wel *beiden.* Welke *ſtreeken door Sems nakomelingen bewoont* worden. Om welke betekenis aan te dringen men wyders kan aanmerken, dat indien *Heber* hier voor een *eigen naam* genomen wordt, onder de benaaming van ſyne kinderen niet alleen moeten begreepen worden de eigendlik genoemde *Hebreën*, welke van hem *door Peleg* hunnen oorſprong hebben.

V.

Ex dictis jam ſatis liquet, quod *Elam*, *primogenitus Semi*, ſedem ſuam quæſiverit trans *orientalem ripam Tigris verſus auſtrum*: & quod *Aſſur trans eandem orientalem*

talem Tigris ripam magis versus boream, postquam sedem suam priorem, *ad ripam Euphratis occidentalem*, reliquerat, *Gen.* X. 11. 12. suam invenit; ac posteritati suæ confirmavit mansionem, per variarum urbium ac munimentorum extructionem *Gen.* XI. 11. 12. inter quas urbes eminuit *Ninive*, quæ postea facta fuit Regia amplissimi *Assyriorum* imperii.

VI.

Arphaxad, *tertius Semi filius*, suam propagavit familiam *intra duos illos fluvios*, *Euphratem*, & *Tigrim*: qui fertilissimam illam fecerunt Peninsulam, quæ *Aram Naharaim* in Scriptura sacra dicta est; atque apud Græcos Scriptores *Mesopotamia* dicitur.

VII.

De *Ludo*, *quarto* Semi filio, dabo quædam in proxime sequenti hujus Dissertationis capite tertio.

VIII.

Aram, *quintus Semi filius*, in sæpius memorata Peninsula, intra *Euphratem* & *Tigrim*

Tigrim comprehensa, antiquæ suæ in ea mansionis luculenta sane reliquit vestigia. Integra enim illa Peninsula de suo olim nominata fuit nomine, *Aram Naharaim*, id est, *Aram duorum fluviorum*. Accedit quod inter alias hujus Peninsulæ regiones quoque memoretur *Paddan Aram*. (quod *in Veteri lingua Aramæa* videtur significasse *Aram campestrem* Conf. *Hos.* XII. 13.) Ubi, vel in ejus vicinia, *Haran* dicta, Thera, Pater *Abrahami* mortuus est. Conf. *Gen.* XI. 31. 32. cum *Act.* VII. 4. & adde *Gen.* XXIV. 10. XXV. 20. XXVIII. 2. atque ex qua se tandem recepit Abraham in terram Canaan.

IX.

Sed hic intra duos hos fluvios non substiterunt *Arami posteri*; verum transierunt *Euphratem*, atque *ad ripam* ejus *occidentalem* longe lateque suos quoque protulerunt fines: varias enim occuparunt regiones, quas de nomine patris sui appellarunt *Aram*; ac distinctis cognominibus distinxerunt. Qualia fuerunt *Aram Zoba*; *Aram Dammesek*; *Aram Beth Rechob*; & *Aram Maacha*. 2 *Sam.* X. 6.

X.

Occuparuntque præterea *ad occidentem Eupratis* ripam *Arami filii* regiones varias, quas ſinguli de ſuo appellarunt nomine. Dicit enim *Moſes. Gen.* X. 23. *Filii* autem *Arami*, עוץ *Utz*, & *Hul*, & *Gether*, & *Maſch.* Fuit *Aram* filius Semi *quintus Gen.* X. 22. Atque ita fuerunt hi *quatuor, Arami filii*, atque *ex Aramo Semi nepotes.* Horum vero *Arami* filiorum, ac *Semi ex Aramo nepotum primogenitus* videtur fuiſſe *Utz.* * Ab hoc vero עוץ, *Utz, Arami* primogenito, videtur terra, in

* [*Ab hoc vero* עוץ, *Utz. Arami primogenito*] Habuit quidem quoque Nachor, Abrahami frater filium, eumque *primogenitum*, qui vocatus fuit עוץ *Gen.* XXII. 21. Cujus filiorum ætas magis cum *Jobi*, & *amicorum ejus* videtur convenire ætate. Quare etiam alii volunt, *Jobum* ex hoc *Utzo*, *Nachoris filio*, ortum eſſe. Idque magis, quia quidam ex *Jobi amicis*, qui *hoc in Jobi libro* nominantur, ex *Nachoris* orti ſunt *poſteris* (Conf. *Job.* XXXII. 2.) Sed hic adeo ex inſtituto non diſputamus *de primo Jobææ gentis parente*; quam *de primo iſtius Regionis*, עוץ, *Utz*, (in qua *Job*, ſive ut hæreditarius inhabitavit incola; vel ut peregrinus ſuo peregrinatus eſt tempore, ſuarumque rerum ac fortunarum, quemadmodum Abraham per longum admodum tempus in terra Canaan, habuit ſedem) *Poſſeſſore*, qui in prima Orbis Terrarum diviſione,

in qua habitavit *Job*, ſuum habuiſſe nomen. Conf. *Job.* I. 1. Atque hinc juſta naſceretur ſuſpicio, annon *Jobus Arami* per *Utzum filius*; aut potius *nepos*; vel ſaltem *ex poſteris* ejus (Tempus enim Jobi adhuc a nemine accurate ſatis definiri potuit) fuerit. Unde ſequeretur, *Jobi linguam vernaculam* fuiſſe, vel *Veterem Aramæam* ipſam; vel ſaltem *ex Veteri Aramæa dialectum.* Quod ſi ſe ita habuerit, fruſtra plane ſint oportet; ac Veteris Chronologiæ ignorantiam prodant, qui *ex Jobo* faciunt *Arabem*; atque *ejus linguam* dicunt *Arabicam* fuiſſe: quod tanto magis temere aſſumitur, cum conſtet, *in nullo caſtæ antiquitatis monumento, ante tempora Regum Iſraelis*, ullam *Arabum*; vel *Arabiæ*, nedum *Arabicæ linguæ* factam eſſe mentionem. Hoc autem Regum Iſraelis tempus *per aliquot ſeçula* ætate Jobi *poſterius* fuit.

XI.

Lineam ſanctam propagavit *Sem* per tertium ſuum filium, *Arphaxadum*, (*Gen.* X. 24.

ne, *tempore Pelegi*, filii Heberi, hanc *hæreditariæ diviſionis* jure occupavit Regionem, eamque de ſuo denominavit nomine. Hic vero neutiquam fuit עוץ, *Utz, filius Nachoris*; ſed עוץ, *Utz, filius Arami.*

24. *Coll. cap.* XI. 10. 11.) *Arphaxad* per filium ſuum *Selam* (*Gen.* X. 24. *Coll. cap.* XI. 12. 13.) *Selah* per filium ſuum *Heberum* (*Gen.* X. 24. *Coll. cap.* XI. 14. 15.) *Heber* per filium ſuum *Pelegum*, (*Gen.* XI. 16. 17.) *Peleg* per filium ſuum *Rehu:* atque ita *ab Rehu* per *Serugum*, *Nachorem*, & *Theram ſancta* hæc *linea* propagata fuit ad *Abrahamum* uſque (*Gen.* XI. 20--26.)

XII.

Ab hac autem *linea ſancta* excluduntur *non tantum omnes* illi *Semi* filii ac nepotes, quorum nomina *Gen.* XI. 10--25. non exprimuntur; ſed generaliori hac filiorum, filiarumque deſcriptione prætereuntur: ſed ab ea quoque excluditur *Joktan cum filiis ſuis*, quamvis ſuis a ſe invicem diſtinguantur nominibus, & *ad Heberum*, tanquam eorum patrem, referantur *Gen.* X. 25--30.

XIII.

Habuit itaque *Heber* inter non nominatos filios filiasque ſuos, quoque *hunc Joktanem cum filiis ſuis* (*Gen.* X. 25---30. *Coll. cap.* XI. 16. 17.) dicitur enim *Gen.* X. 25. „ Hebero nati ſunt *duo filii:* alterius no-
„ men

„ men fuit *Peleg*, quia *ejus diebus* terra
„ fuit *diviſa;* nomen vero fratris ejus fuit
„ *Joktan*.

XIV.

Per *Pelegum* propagavit *Heber*, ut vidimus §. XI. *pag.* 170. *lineam ſanctam uſque ad Abrahamum*, *Gen.* XI. 16--26. daturque ratio, *Gen.* X. 25. cur nominatus fuerit *Peleg*, quia ſcilicet *ſuis diebus terra diviſa* fuit. Sed *per Joktanem ſanctam* neutiquam propagavit *lineam.* Verum *Joktan excluditur cum omnibus filiis ſuis a ſancta illa linea*, tanquam qui fecerunt *lateralem*, ut Genealogi loqui ſolent, *lineam*, *per Heberum propagatam.* Quare etiam *Moſes* eam *non ulterius*, quam ad *ejus filios*, extendit; eorumque regionem, in qua inhabitarunt, indicat.

XV.

Sic diſtinxit quoque *Adami poſteros:* præter *lineam ſanctam* propagatam *per Sethum ad Noachum;* exhibuit *lineam lateralem per Cainum Gen.* IV. 17---24. quam tandem plane abrumpit. Idem obtinuit *in familia Noachi:* perſequitur *lineam ſanctam a Noacho*, *per Semum* ad *Abrahamum* uſque.

que. Cui apponit *lineas duas laterales ex Noacho : alteram* per *Japhetum Gen.* X. 2----5. atque *alteram per Chamum. Gen.* X. 6---10. 13---20. Idem quoque obſervatum eſt *in familia Theræ. Sancta linea ex Thera* propagata eſt *per Abrahamum*; ſed *duæ laterales lineæ* propagatæ ſunt *ex Thera ; altera per Charanem; Gen.* XI. 26----31. *altera per Nachorem Gen.* XXII. 20---24. Propagavit porro *Abraham lineam ſanctam per Iſaacum;* ſed *laterales ſuas lineas : alteram* per *Iſmaelem*, cujus exſtat Genealogia *Gen.* XXV. 12--18. atque *alteram per filios ſuos ex Ketura. Gen.* XXV. 1---4. *Iſaak* propagavit *lineam ſanctam per Jacobum;* ſed *lateralem lineam per Eſavum*, ejus Genealogiam exhibuit *Moſes Gen.* XXXVI. 1---19. & 40---43.

XVI

Qualem autem lineam conſtituerunt inter Adami poſteros *Cainitæ*; inter *Noachi Poſteros Japhetitæ* & *Chamitæ;* inter *Theræ poſteros Charanitæ*, & *Nachoritæ;* inter *Abrahami poſteros Iſmaelitæ* & *filii ejus ex Kethura*; ac inter *Iſaaci poſteros Edomitæ*, *Eſavi filii* & nepotes : talem quoque *lateralem lineam inter Heberi poſteros* fecit *Joktan per filios ſuos :* quorum Joctanen-

nenſium ſedes a *Moſe* deſcribitur *Gen.* X. 30. „ Fuit, inquit, „ horum habitatio *a* „ *Meſcha*, *qua venis ad Sephar*, הר הקדם „ *montem Orientis.*

XVII.

Inter *Japheti filios*, qui *borealiorem Aſiæ partem* occuparunt, vidimus *pag.* 154. *Meſchechum* recenſeri *Gen.* X. 2. Regio itaque illa, quæ *a Meſchecho*, *filio Japheti*, nomen ſuum accepit, fuit *terminus occidentalis habitationis Joktanenſium :* quemadmodum *Sephar*, quæ *montana* eſt regio, *ejus terminus* fuit *Orientalis. Mantanæ* hujus *Regionis*, quæ fuit *terminus Orientalis habitationis Joktanidarum*, ſit quoque mentio *Num.* XXIII. 7. Ubi dicit Bileam, quod ex *Aram* [Syria] מהרי קדם, ex *montibus Orientis* ſit evocatus. Atque *hæc montana Bileami regio* erat *ad Fluvium. Num.* XXII. 5. Videnturque progreſſu temporis ab eodem hoc nomine, *Meſchech*, (quo *Joctanidarum terminus occidentalis* hic expreſſus eſt) *Moſchici Montes* ſuum accepiſſe nomen.

XVIII.

Prope hos *montes Moſchicos* habent ſuos fontes fluvii *Euphrates*; *Tigris*; *Phaſis*; & *Ara-*

Araxes, (Conſer. de horum *montium Orientis* ſitu ad fluvium *Num.* XXIII. 7. *Coll. cap.* XXII. 5.) dictaque progreſſu temporis eſt hæc Regio, *Armenia*: cujus borealior pars *ab occaſu* fere contingit *Pontum Euxinum*, atque *ab ortu mare Caſpium*. Ut adeo *Armenia major* ipſa illa fuerit *Regio*, quam in diviſione terræ occupavit *Joktan*; atque in qua *numeroſam* ſuam propagavit *familiam*. Cumque *Euphrates*; & *Tigris*, una cum aliis fluviis hac in Regione ſuos invenerint fontes, recte atque ordine inter בני עבר, quorum *Pater Sem* erat *Gen.* X. 21. quoque recenſetur *Joktan* cum filiis ſuis.

XIX.

Hanc vero Regionem, cujus borealior pars *inter Pontum Euxinum* & *mare Caſpium* interjacet, olim occupatam fuiſſe a *Joktane*, ut in ea ſuam propagaret poſteritatem, liquet porro inde, quod hic inveniamus regiones, & fluvios, qui a filiis *Joktanis* nomen acceperunt ſuum.

Inter filios *Joktanis* occurrit *Gen.* X. 29. *Chavila*, qui fuit *Joktanis filius* XII^mus^. Sed hic *Chavila Joktanis filius* confundi neutiquam debet cum altero illo Chavila, qui fuit II^dus^. *Chuſchi* filius, quem recenſuit *Moſes*

Moſes Gen. X. 7. & de quo egimus ſupra, *pag.* 133. 134. Nam differunt

1. *Origine:* Ille fuit *ex Chamo: filius* nempe *Cuſchi*, & *Chami nepos*. Hic vero erat ex *Semo: filius* ſcilicet *Joktanis* (*Gen.* X. 7. coll. c. *comm.* 29.) & *per eum ex Semo*.
2. *Ætate.* Ille fuit *per Cuſchum nepos Chami*; atque ita *ſecundus a Chamo*: Hic vero fuit *per Joktanem nepos Heberi*; atque ita *quintus a Semo* (*Gen.* X. 6. 7. *coll. c. comm.* 22--25.

Cham.	*Sem.*
	Arphaxad.
Cuſch.	Selah.
	Heber.
Havila.	Joktan.
	Havila.

3. *Habitatione.* Ille *Cuſchi* filius, inhabitavit *in Auſtraliore Aſiæ parte*. Ubi & aliqua ejus regio ab ejus appellata eſt nomine, ut vidimus *pag.* 156. Hic vero habuit ſuam habitationem *in boreali Aſiæ parte*. Ubi quoque certa ejus regio ab hujus nomine nominata eſt, *Chavilah*. Quæ loca a ſe invicem diſtabant per aliquot centena milliaria germanica.

XX.

De hac regione (tanquam quæ ſuo adhuc tempore *Chavilah* dicta fuit) egit *Moſes Gen.* II. 11. dicitque eam allui a fluvio *Piſchone*, atque *in ea* eſſe *aurum*, quod pronunciat *bonum*. Id quod convenit cum teſtimonio *Jobi*, vel *Elihu*, qui dicit, ſuo tempore *aurum veniſſe ex Borea*. *Job.* XXXVII. 22. Confer. *Job.* XXVIII. 1--4. Ubi quoque non obſcure dicitur, *Borealem Orbis partem auriferam*, & *metalliferam Jobi* tempore (quod a *Moſis* ætate non multum diſtabat) fuiſſe. Vide præcedentem meam *Diſſertationem pag.* 133.

XXI.

Accedit, quod inter *Joktanis filios Gen.* X. 29. quoque recenſeatur *Ophir*. A quo eadem in regione, inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium, certa ejus pars, vel ſaltem *fluvius* dictus fuit *Ophir*: qui fluvius ſe quoque effundit *in Pontum Euxinum*, quemadmodum & *Phaſis* facit. Apud profanos quidem, eosque antiquiſſimos, Geographos nomen hujus fluvii, per manifeſtum errorem, ſcribitur: non Ophir; ſed Ophis. Quæ differentia litteræ finalis *r*. &

& *s*. tam exigua eſt, ut Critici eam inter minimos, quos emendare ſolent, errores, non dubitarent recenſere.

XXII.

Nec dubito, quin de hoc *Ophir*, vel *ejus auro* egerit quoque *Eliphatz*, *Job.* XXII. 24. ושית על עפר בצר, *Et ornatus ſuper pulvere eſt aurum.* ובצור נחלים אופיר & [ornatus] *in petra*, [vel ſilice] *torrentium eſt Ophir*; vel *aurum Ophirinum*. Videtur in altero hoc membro *hujus Comm.* de *auro pulvereo*, vel quod *ex fluviis auriferis* expiſcari ſolent, loqui. Quale forſitan fuit *aurum Ophirinum*. Conf. *Job.* XXVIII. 16. cum *ejusdem Cap. comm.* 6. *Lapides ejus* [terræ ſcilicet, nam de ea loquitur] *ſunt locus Sapphiri*; ועפרות זהב לו, & *habet* [vel poſſidet] *pulveres auri*. Quod *Ophirinum*, vel *fluviale aurum* diſtinguere videtur *Eliphatz* ab *auro effoſſo*, vel ex terræ viſceribus *exciſo*; quod ideo diſtinctionis ergo videtur vocare, בצר. Videtis, ut hoc in tranſitu moneam, *originem fabulæ de vellere aureo*, ad quod ex Colchide, regione huic fluvio *Ophir*; & *terræ Chavilæ* vicina, auferendum *expeditio illa Argonautarum* fingitur inſtituta.

XXIII.

Quæ de alio *Ophir*, quam qui fuit fluvius *in hac boreali Asiæ parte*; quique a *Joktanis filio* nomen suum accepit, atque *in Pontum Euxinum* se effundebat, traduntur: ea omnia sunt valde incerta; ac nituntur meris, iisque longe petitis, eruditorum conjecturis. Id quod, (licet ibi *de hoc fluvio Ophir* non agat, recte tamen observavit Clariss. *Christophorus Cellarius in Antiqua sua Geographia Tom. Alt. Libr.* III. *Cap.* XXIII. *pag.* 534. Ubi ait vir Celeberrimus: „ Bochartus *Ophir* esse *Taprobanam* insulam contendit, quæ nunc „ *Zeilan* vocatur, Taprobanæ nomen deducens ex פרון, quod etiam *Prvan* „ legi possit, idque hausit ex 2 *Paralip.* „ III. 6. Ubi זהב פרוין, *Aurum Parvam* „ laudatur. Præponit *ex conjectura*, טף, „ *litus*, ut *Taprobanæ* nomen habeat, „ Sed MERÆ DIVINATIONES sunt, inquit Cellarius, „ quæ de *Ophir* disputantur: nec posteriores *opiniones* habent, „ quod primæ justis de causis præferatur. (De hoc *Ophir* plura dabo in Dissertatione mea *de Ophiritica Salomonis & Hirami navigatione*) Sufficiat nunc nobis, quod fluvium & regionem, quæ de *Ophiro*, *filio Joktanis* undecimo, nominatæ sunt, *in borealiori Asiæ parte*, ad *latus Ponti Euxini Orientale* æque invenerimus, ac ibi *auriferam* illam *de Chavila, duodecimo Joktanis filio*, appellatam, offendimus regionem.

XXIV.

Stat itaque firma hæc nostra conclusio, *Joktanem cum numerosa sua familia* concessisse in illam regionem, quæ postea dicta fuit *Armenia*: in qua *quatuor ille fluvii*, *Phasis*, (qui tempore *Mosis Pischon* dicebatur) & *Araxes*; & *Euphrates*; & *Tigris* fuos habent fontes, ut in ea suam propagaret & stabiliret posteritatem.

XXV.

Restat, ut *de Semææ Linguæ dialectis* adjiciam. Cum inter *Semi* filios, *quintus* ejus *filius*, *Aram*, fines suos quam longissime protulerit, non tantum in ipsa illa peninsula, quæ de suo nomine *Aram Naharaim*, id est, *Aram duorum fluviorum*; atque in qua quoque certa regio de suo nomine appellata fuit *Paddan Aram*, id est, *Campestris Aram* Conf. *Hos.* XII. 13. sed etiam *trans Euphratem*, occidentem

versus: unde tot distinctæ in ista plaga ab ipso denominatæ fuerunt nomine regiones, quales sunt *Aram Zoba ; Aram Dammesek ; Aram Beth Rechob ;* & *Aram Maacha.* 2 *Sam.* X. 6. (Confer Bochartum *Libr.* II. *Cap.* VI.) videtur justa a nobis exigere methodus, ut hanc *dialectorum* discussionem *a dialecto Aramæa* incipiamus, atque inde ad reliquas *Semææ linguæ* pergamus *dialectos.*

XXVI.

Vetus Aramæa dialectus videtur inter *omnes Semææ linguæ dialectos* se quam maxime propagasse, ut *in Mesopotamia* non tantum, sed quoque *ad utramque Euphratis* & *Tigris ripam* fuerit *vernacula ;* vel *suas* saltem *dialectos* ad tantum non omnia illa propagaverit loca. Hinc *Assyriaca*, quia *Aramææ veteris* erat *dialectus*, *Aramæa* dicitur lingua. 2 *Reg.* XVIII. 26. *Jesaj.* XXXVI. 11. Quemadmodum & *Chaldæa* (id quod forsitan de *Ismaelitica* quoque affirmari potest *Dialecto.* Erant enim כשד, *Chesed*, *filius Nachoris Gen.* XXII. 22. Pater כשדים, *Chasdim*, [*Chaldæorum*] & *Ismael*, *filius Abrahami*, æquales: & posteri eorum non ita longe a se invicem remoti in australiori Asiæ regione inhabitarunt) ob

ob eandem quoque rationem dicitur *Aramæa* lingua *Dan.* II. 4. *Esr.* IV. 7. Id quod etiam vel inde liquere videtur, quod *vocabula Veteris Aramææ Linguæ*, quibus Laban *Gen.* XXXII. 47. *acervum testimonii* denominavit, *in Chaldæorum monumentis eandem* plane adhuc retinuerint *notionem.* Videmurque addere posse, quod prima vocabuli, כשדים, notio, *in Veteri Aramæa lingua* (quæ fuit, quod significaret *Astrologos*, vel *divinatores*, qui *suum Observatorium*, dictum אור כשדים, *Ur Chaldæorum*, in Mesopotamia habuerunt *Gen.* XI. 31. Confer quæ supra *pag.* 129. diximus) in *lingua Chaldaica* tempore Nebucadnezaris adhuc in usu fuerit. *Dan.* I. 4. II. 2. 4. Nomen hoc Hebræo-Biblicum כשדים postea ubique *Chaldæos* reddiderunt *Græci* ; & post eos *Latini* ; atque ipsi nostri *Belgæ*, (præstitissent, sane, si id non feciissent) sic tempore Macedonum accidit, ut multa admodum *antiquissima rerum*, *Personarum*, ac *regionum* perierint ac perdita sint nomina. Unde maxima in antiquissimis *Biblicarum Genealogiarum*, ac *Geographiæ*, & *Chronologiæ* nata est *Tabulis*, obscuritas & confusio, quam nunc expedire vix possumus.

XXVII.

Ut adeo *Lingua Semæa* videatur adoptaſſe, ac *ſibi vindicaſſe nomen veteris Aramææ linguæ.* Immo ipſa *Noachi lingua*, quæ fuit *primæva poſtdiluviana lingua*, videtur *per hanc veterem Aramæam linguam*, tanquam *fœcundiſſimam* variarum ac multiplicium *dialectorum matrem*, tantum non omnes ſuas per univerſum terrarum orbem propagaſſe *dialectos.* Unde quoque accidit, ut per hanc *veterem Aramæam linguam* tot *primævæ Adamiticæ linguæ* in omnibus omnino linguis, ac *in Orientalibus* præcipue, conſervata ſint *Vocabula.*

XXVIII.

Nec dubitare poſſumus, quin *Joktanenſium* etiam *lingua* fuerit *Veteris Aramææ linguæ dialectus.* Inhabitavit enim *Joktan* cum Poſteris ſuis illam *inter Pontum Euxinum & mare Caſpium auſtraliorem regionem*, quæ *Armenia* dicta eſt. Cum jam in *Armenia*, nomen *Aram*, adeo conſpicuum ſit, dubitare non poſſumus, * quin etiam hæc

* [*Quin etiam hæc Regio ab Aram, Semi filio, habuerit*

hæc regio; ab *Aram*, *Semi filio*, habuerit nomen ſuum: quod in principio videtur ſonuiſſe *Aramnia:* id quod nomen progreſſu temporis ob molliorem ſonum cœperunt pronunciare, *Armenia.* Confer quæ de hoc nomine monui *in Commentario meo* Belgico, *de Ortu Chriſti ex Davide Libr.* I. *Cap.* XVI. §. 58—63. *noviſſimæ Editionis.* Hæc autem, ſi recte penſitemus, dubitare nos non ſinunt, quin *Joktanenſium lingua* fuerit *Veteris* quoque *Aramææ linguæ dialectus.*

XXIX.

Antequam autem hinc diſcedam, verbo adhuc monere debeo, *linguam Syram*, quæ poſt ſolutam captivitatem apud Judæos, præcipue uſque ad, atque ultra tempora Chriſti ac Apoſtolorum obtinuit, cum *Veteri* hac *Aramæa*, de qua hactenus egi, neutiquam confundendam eſſe lingua. Hæc enim *nova Syra lingua* æque fuit *dialectus Vete-*

buerit nomen ſuum] *Angli*, quorum jam ſæpius ſupra mentionem feci, dicunt *in Hiſtoria ſua Univerſali Parte* I. *pag.* 331. *Armenos* ipſos Regionis ſuæ nomen [*Armenia*] derivare ab ARAM: quem dicunt ſuum olim Regem fuiſſe. Id quod *Armeni* procul dubio ex Veteri aliqua habent Traditione.

Veteris Aramææ: ac ejus *dialecti* fuerunt *lingua Aſſyriaca*, * *Chaldæa*; & *Judaica*, qua Judæi in quotidiano ſuo inter ſe, tanquam *ſibi vernacula*, quamdiu regnum Judæ viguit, & poſtea, uſi fuerunt. De qua *Judaica veteris Aramææ linguæ dialecto*, tanquam ab ejusdem illius *Aramææ veteris linguæ dialecto Aſſyriaca*, diſtincta, agitur 2 *Reg.* XVIII. 26. *Jeſ.* XXXVI. 11. Add. *Nehem.* XIII. 24. Ubi hæc *Judaica lingua* ab *Aſdodica* quoque diſtinguitur.

XXX.

Hæc vero *nova Syriaca lingua*, quæ eſt *linguæ Veteris Aramææ dialectus*, in libris Novi Teſtamenti dicitur *Hebræa lingua:* quia *Hebræos* in terra promiſſa inhabitantes ab *Judæis* peregrinis inter gentes inhabitantibus diſtinguebat, tanquam qui *Græca*

* [*Chaldæa*] De *Iſmaelitica Dialecto* affirmari itidem debere videtur, quod eadem, eodem quo *Chaldaica*, ex *Veteri Aramæa* nata ſit lingua tempore: Fuit enim כֶּשֶׂד, *Cheſed*, Pater, כַּשְׂדִּים *Chasdim* [*Chaldæorum*] *Nachoris*, fratris Abrahami, *filius*: quemadmodum *Iſmael* fuit *filius Abrahami*. Unde ſatis liquet, *Chasdim* [*Chaldæos*] & *Iſmaelitas* ejusdem fere ætatis, atque ævi fuiſſe. Fieri enim non potuit, ut *ulla Dialectus* originem ſuam atque uſum habuerit, antequam *gens*, cujus fuit *Dialectus*, exſtitit. Confer quæ diximus de his *Dialectis pag.* 129.

ca utebantur *lingua*, atque inde *Helleniſtæ* dicebantur.

XXXI.

Nec præterire plane poſſumus, linguam hanc *novam Syriacam*, per ſubdiviſionem quaſi, & *ſuas feciſſe dialectos.* Diſtinguere enim eam ſolent in *dialectos*, *Hieroſolymitanam*; *Galilæam. Matth.* XXVI. 73. *Hamathæam Maroniticam*, &c.

XXXII.

De his vero *Semææ linguæ dialectis* non minus diſtincte egit; quam de *Japhetææ*, & *Chamææ linguarum dialectis* egerat *Gen.* X. 5. & 20. quoque *Moſes Gen.* X. 31. „ Iſti, inquit, „ ſunt filii Semi in fami- „ lias ſuas, ללשנתם, *ſecundum* LINGUAS „ SUAS: in terris ipſorum per gentes „ ſuas.„ Clauditque hunc *catalogum filiorum Noachi*, ac *linguarum eorum Gen.* X. 37. his verbis: „ Hæ familiæ filiorum *Noachi*, ſecundum generationes ipſorum in „ GENTES SUAS: atque ex his ſe divi- „ ſerunt gentes in terra *poſt diluvium.*

XXXIII.

Ad *linguarum*, atque *Aramææ Veteris* ſpeciatim inter eas, ulteriorem *propagationem;* ut & ad *inde natarum*, & *multiplicatarum Dialectorum* repræſentationem antequam pergam, tacitus præterire non poſſum, quod nomen *Aram*, & *Aramæi*, quo *in Contextu Hebræo-Biblico* magna illa pars Aſiæ, quæ per diſtincta cognomina in tam multas diviſa fuit Regiones, earumque incolæ conſtanter nominantur, *a Græcis cum novo plane nomine* commutatum ſit. Vocant enim eam regionem *Syriam;* & ejus incolas, *Syros. Joſephus* dicit *Libr.* I. *Antiq. Cap.* VII. Ἀραμαίας δ' Ἀράμῳ ἔχεν, ὡς Ἕλληνες Σύρας προσαγορεύσι. *Aramæos Aramus* [Semi filius] tenuit, quos *Græci Syros* appellant. Clariſſ. *Cellarius* ad hæc verba dicit *in Geographia ſua antiqua Libr.* III. *Cap.* XII. *pag.* 280. „ Atque ita Græci „ Interpretes ubique, ארם, verterunt Συ„ ριαν, *Syriam;* &, ארמי, Συρον, *Syrum.* Eſt itaque nomen *Syria*, & *Syrus* plane *novum nomen:* quod *tempore Macedonum* huic Aſiæ parti demum datum eſt; & ita invaluit, ut antiquiſſimum nomen *Aram;* & *Aramæi*, apud Exteros prorſus ſit abolitum: quare non tantum Interpretes *Græci* &

& *Latini*, ſed etiam (quod ſatis mirari non poſſum) Belgæ noſtri nuſquam fere (Conf *Gen.* XXVIII. 2. 5.) nomina, Aram en Aramëërs / expreſſerunt; ſed ubique ſubſtituerunt, Syrien en Syriërs. Prudenter, ut ſolet, monuit *Calmetius*, *Homerum*, & *Heſiodum*, antiquiſſimos Scriptores, harum Regionum incolas, genuino & antiquo ſuo nominaſſe nomine, *Aramæos.* Conf. *not. ad hunc Joſephi locum in Edit. Cl. Havercampii.*

XXXIV.

Ab inſtituto quoque neutiquam alienum exiſtimo, ſi hic *ſeriem* & *ſucceſſionem Dialectorum*, quæ *ex Veteri Aramæa* natæ ſunt lingua, quantum ea *ex caſta* erui poteſt *antiquitate*, exhibeam. De *Aſſyriaca Dialecto* dubitare non poſſumus, quin ea *ex Veteri Aramæa* primis temporibus ſit nata. Erat enim *Aſſur* Semi filius *ſecundus;* ut *Aram quintus* ejus fuit filius. Sed *Chaldæa Dialectus* potuit *ex Veteri Aramæa* demum naſci lingua *poſt Abrahami & Nachoris tempora.* Fuit enim כשד *Cheſed*, Pater כשדים *Chasdim* [*Chaldæorum*] *filius Nachoris*, *fratris Abrahami Gen.* XXII. 22. Atque ita *Cheſed*, pater *Chasdim* [*Chaldæorum*] fuit *Iſmaelis*, *filii Abrahami*,

hami, *æqualis*. Differentia vero annorum *Aſſuris*, ex quo *Aſſyrii*; & *Cheſed*, ex quo *Chasdim* [*Chaldæi*] orti ſunt, fuit *aliquot centenorum annorum*. Ad *novam* vero *Syram Dialectum* quod attinet, quæ itidem diſtincta *Veteris Aramææ linguæ* fuit *Dialectus*: hæc *ex Veteri Aramæa lingua* non potuit naſci *ante Captivitatem Babylonicam*. Sunt enim *Aramæi ante Macedones* nunquam *Syri*, dicti: quemadmodum eorum Regio ante illud tempus quoque nunquam *Syria* dicta fuit. Habetque hæc *nova Dialectus Syra* multa ex *Chaldaiſmo*. Id quod ſatis arguit, *novam* hanc *Dialectum Syram Chaldæa Dialecto* recentiorem eſſe.

XXXV.

Hactenus vidimus, quo pacto *ex primæva poſtdiluviana lingua* (quæ *Noachi* fuit; & ob certam rationem *Aramæa* dicta fuit) per Linguas *Japhethæam*; *Chamæam*; & Semæam (quæ *proximæ Noachi* linguæ fuerunt *dialecti*) variæ ac multiplices pro regionum orbis terrarum, quas poſteri ejus jure hæreditario occuparunt, varietate (*non enim omnis omnia fert tellus*) naſci debuerint *dialecti*. Hiſce autem ſi addamus, (ut de *bellis mutuis*; *expugnationibus*; *victoriis*; *coloniis*; ac *migrationibus* nunc nihil moneam)

neam) *mercatorum commercia*, dubitare non poſſumus, quin etiam *hæc variam* admodum atque *multiplicem* induxerint *linguis*, earumque *dialectis* varietatem: idque non tantum *diverſis illis*, quibus eorum diſtinguebantur *merces*, *nominibus*; ſed *itineribus* quoque ac *profectionibus*, quas inſtituebant mercatores ad merces ſuas in alienas tranſportandum regiones. Id quod ſine diverſarum *linguarum* & *dialectorum* varia *commixtione* fieri non potuit.

Recte dixit Clariſſ. *Cellarius in ſua de Origine Linguæ Italicæ Diſſertatione* §. XIII. „ Sed quoquo modo ſe *res antiquiſſimæ lin-* „ *guæ* habet, quam, ut in aliis gentibus, „ *non integram* ſemper manſiſſe; ſed tem- „ porum progreſſu *mutatam varie*, aut *in-* „ *terpolatam* fuiſſe, credibile eſt. & §. XV. „ Id ultro largimur, ut ſolet *in cunctis* „ *linguis*, ita & in hac *Gothica* quoque „ pro locorum & temporum diverſitate *di-* „ *verſas dialectos* exortas eſſe. & §. XIX. „ Vir ſupra laudatus *Olaus Borrichius Dis-* „ *ſertatione de cauſis diverſitatis linguarum*, „ poſt alias in primis urget *commercia*, *mi-* „ *grationes*, & hominum etiam *incuriam*. „ - - - - *Migratio* enim, inquit ipſe *Cella-* *rius*, „ notiſſima, quæ non poterat *ſine* „ *commercio* eſſe, præſertim quod advena „ populus, oppreſſo indigena, ſumma re-

„ rum.

„ rum potiebatur, ad cujus nutum ac ge-
„ nium componere se debebat, qui in po-
„ testatem redacti fuerant.

XXXVI.

Mercatores autem jam *ab antiquis temporibus* ejusmodi instituisse *itinera*, & *profectiones*, ad merces suas alienis etiam in regionibus vendendum; atque alienas inde in patriam revehendum, vel ex ipsa constat Josephi historia. Fratres ejus viderunt in agro *Gen.* XXXVII. 25---28. ejusmodi *societatem mercatorum* Ismaelitarum ac Midianitarum, revertentium *ex Gileade*, ubi emerant aromata, balsamum, & myrrham, ut has merces, quibus eorum Cameli onusti erant, transportarent *in Ægyptum*, ibique venditum irent, iter suum *ex Gileade in Ægyptum per terram Canaanem facientium.* Unde fratres Josephi occasionem arripuerunt, fratrem suum, Josephum, his vendendi mercatoribus. Qui eum quoque secum duxerunt *in Ægyptum*, atque ibi vendiderunt Potiphari, aulico Pharaonis, Præfecto satellitum ejus. *Gen.* XXXVII. 36. Ad posteriora si respiciamus tempora, intelligimus, *Salomonem* & *Josaphatum* suas navium stationes habuisse ad interiorem ripam occidentalis sinus istius Peninsulæ, quæ *a tempore Macedonum* nominari cœpit *Arabia Felix*, unde & *sinus* istius maris *occidentalis* ab illo quoque tempore *sinus Arabicus* dictus est. Quid vero excogitari potest, quod *linguarum Dialectos* magis *variare; miscere*; & *confundere* inter se potest, quam ejusmodi, non tantum *mercatorum*; sed & *navigantium* inprimis, qui trans mare currunt, turba? Legat modo aliquis oram illam Emporii nostri, Amstelodami, ubi illa suas habet navium stationes: intra quadrantem horæ audiet *maximam* ac *multiplicem* valde *Dialectorum varietatem*, *mixturam*, & *confusionem.*

XXXVII.

Nec defuerunt antiquis jam temporibus, qui in alienas *irrumperent* regiones, ut eas suæ facerent ditionis. Hinc accidit, ut *victoris lingua* cum *lingua oppressorum* indigenarum *misceretur.* Exemplum ex ultima repetitum postdiluviana antiquitate habemus in *Nimrodo Gen.* X. 8---10. qui sic *ex australiore Asiæ parte*, ubi pater ejus *Cusch* eum genuerat, *irrupit in terram Sinear*; ibique regni sui initium fecit *Babelem*, cui urbi addidit plures alias urbes, quæ *Gen.* X. 10. recensentur. Id quod *sine mixtura dialecti Nimrodicæ*, cum *dialecto*,

ĉto, quæ antea his in Regionibus obtinuit, fieri non potuit. Idem procul omni dubio ſtatuendum de Dialecto, quæ olim in ampliſſimis illis, ac multis admodum Regionibus, in quas Peninſula illa, quæ a temporibus Macedonum *Arabia Felix* dicta fuit, olim diviſa fuit, tam varia & multiplex exſtitit. Notum enim ſatis eſt ex Hiſtoria (ut de antiquiſſimis nunc nihil moneam temporibus) iſtius temporis, Alexandrum Magnum in hanc armis ſuis penetraſſe Peninſulam: ac decreviſſe in ea, *Imperii ſui* poſt ſuum ex Indiis, quas quoque ſibi ſubjicere decreverat, atque expugnatum ibat, reditum, Regiam Imperii ſui condere. Narrat Strabo *Libr.* II. *Cap.* 179. Ælium Gallum, juſſu Auguſti, quia intellexerat, *Arabiam Felicem ditiſſimam* eſſe Regionem, eam, quia *ſponte* ſe noluit ſubjicere, *bello*, quamvis fallaciis vicinorum longius tracto, *ſubjugaſſe*. Certumque non minus eſt ex hiſtoricis monumentis, hanc Peninſulam, Arabiam Felicem tempore Trajani Romanorum factam fuiſſe Provinciam: eoſque ab illo *tempore* hac in Peninſula opulentiſſima aliquot habuiſſe emporia. Ut jam taceam varias illas Habyſſinorum irruptiones, quas in hanc fecerunt Peninſulam, per quas quoque magnam ejus partem diu tenuerunt, atque oppreſſerunt. Ut adeo

deo fruſtra ſint, & Hiſtoriarum ignorantiam prodant, qui confidenter adeo contra omnem fidem hiſtoricam aſſeverant, Inſulanos hoſce, qui hac in Peninſula, (quæ a temporibus Macedonum *Arabia Felix* dicta eſt) inhabitarunt, *per tria millia* annorum, *inde ab eorum origine uſque ultra tempora Muhammedis*, bello appetitos non fuiſſe. Sed memor propoſiti, *hiſce* eruditorum *litibus* nolo me *immiſcere*. Sufficiat mihi *hiſtorice narraſſe*, quæ vera ſunt. Hæc autem omnia ita ſunt comparata, ut *ſine mixtura* ac *multiplici Dialectorum variatione* accidere non potuerint.

CAPUT TERTIUM.

DE

BABELICA LINGUARUM CONFUSIONE.

I.

A longo jam tempore mirari ſatis non potui, dari inter eruditos ſacræ Scripturæ interpretes, qui exiſtimant, *varietatem*

tatem dialectorum ex primæva enatarum lingua, ab hac demum, si non ab hac una, derivandam esse linguarum confusione. Accuratissimus cæteroquin vir, *Christophorus Cellarius* ipse dubitanter valde de eo *in sua*, *de Linguæ Latinæ Fatis*, *Dissertatione* §. II. locutus est. „ Unum sermonem, inquit, fuisse omnium, *antequam* „ *conditores Babylonicæ turris confusionem* „ *linguarum*, disjectionemque in varias „ terras, temeritate sua mererentur, divino antiquissimi scriptoris testimonio „ manifestum est. Utrum vero *prima* & „ *unica illa lingua*, qua *ante hanc pœnam* „ usi mortales fuerant, conservata sit in „ illa perturbatione; an ipsa etiam perierit, in varias ac novas diffusa & dispersa; non est eadem omnium opinio & „ sententia. Plures ajunt, servatam esse, „ eamdemque esse, quam *Sanctam* & *Ebræam* appellamus: pauciores, qui censent periisse.

II.

Rationes, quibus inducti ita sentiant eruditissimi Interpretes, nunc non excutiam, quia decrevi *hac in Dissertatione me litibus & controversiis Eruditorum non immiscere*, sed *historice* tantum exponere id quod existimo

stimo verum esse. Quæ ratio est, cur hanc meam Commentationem vocaverim *Dissertationem historicam*. Gaudeat unusquisque sensu suo; & liceat mihi, meam quoque explicare sententiam.

III.

Ad Babelicam hanc itaque quod attinet *linguarum confusionem*, quam scripsit *Moses Gen.* XI. 1----9. de ea hæc mea est sententia: Historiam hanc *singularissimum continere Casum*: qui ad *universum genus humanum*; ut & ad *universam primævam linguam postdiluvianam*, ne dum *antediluvianam*, neutiquam applicari queat. Quod ut probem, assumo tantum, particulam ו, in primo commate *Cap.* XI. *Geneseos* accipiendum esse, notione ו *cum*; & ו *tum*: qui usus *in contextu Hebræo-Biblico* frequentissimus est: quare nemo, hac in lingua paulo exercitatior, hoc meum mihi de hac particulæ ו notione facile negabit postulatum.

IV.

Hoc autem postulatum ut mihi concedatur, postulat nexus, quem *Moses* fecit inter proxime antecedens *Caput* X^mum. cum

hoc *Cap.* XI^mo. Significat enim *Moſes*, ſingularem hunc caſum accidiſſe ipſo illo tempore, quo *Noachi poſteri*, ex *Patris Noachi*, haud dubie, *teſtamento*, incipiebant *univerſam terram inter ſe dividere*, & occupare: in cujus *diviſionis* & occupationis regionum memoriam *Heber* alterum ſuum filium vocavit *Peleg*. Atque hæc eſt ratio, cur *Moſes Semi genealogiam ultra duos hos Heberi* filios, *Pelegum*, & *Joktanem*, ejusque filios *Cap.* X^mo. non perſecutus fuerit; ſed *genealogiam* SEMI deinde demum, *poſt hanc Babelicam linguæ confuſionem Cap.* XI^mo., uſque ad Abrahamum, atque ejus fratres continuaverit. Mirum itaque non eſt, quod *lingua poſtdiluviana* tum temporis, cum demum inciperent Noachidæ terram *inter ſe dividere*, nondum omnes illas pepererat *dialectos*, quæ deinde *ex multiplici illarum* regionum, quas occuparunt, *varia indole* natæ ſunt. Videturque horum urbis & turris conditorum peccatum, ob quod Deus eorum conſilium irritum fecit, hoc fuiſſe, quod in itinere *ex Oriente* occupati, ad illam, quæ *in Teſtamento Noachi*, non ſine inſtinctu Spiritus ſancti iis adſignata fuerat, quærendam regionem, aliam, quam in itinere ſuo inveniebant, in ejus locum, proprio arbitrio atque conſilio ſubſtituerint; atque hanc *Sinearis*

ris planitiem, ut ſibi ſatis commodam, elegerint, ad ſuam ſibi in ea figendam manſionem. Sic enim ſolet omnia hominum conſilia, quæ ſuo adverſantur beneplacito, irrita facere Deus,

V.

Contextum *Gen.* XI. 1. ita itaque reddo: „ *Cum* univerſa terra [adhuc] eſſet unius „ labii, [vel linguæ]; & unorum verbo„ rum. Id eſt, *cum lingua primæva* nondum admodum multas, atque varias produxiſſet *dialectos*, quæ impediebant, quominus alter alterum intelligeret, utpote qui animadvertebant, *linguam primævam poſtdiluvianam adhuc in primis illis dialectis* ſatis conſpicuam, ac intelligibilem manſiſſe: „ *Tum* vel *Tunc* contigit, cum ex „ oriente proficiſcerentur, ut [quidam] *in„ venerint planitiem in terra Sinear*, & „ conſederint in ea.

VI.

Noachus cum ſuis ex arca egrediens manſionem ſuam invenit *in Meſopotamia*, vel in inferiore *Armenia*. *Hinc Meſopotamia* fuit quaſi *centrum*, ex quo omnes per univerſam terram propagatæ ſunt Gentes. Ex

hac *Meſopotamia*, vel inferiore *Armenia*, tanquam *orientaliori plaga* multi *tranſierunt Euphratem occidentem* verſus: atque ex his *quidam* ibi invenerunt hanc *planitiem in terra*, quæ tempore *Moſis*, & poſtea dicta fuit *Sinear:* in qua conſederunt; atque conſilium ceperunt, urbem ibi ædificandi; & *turrim*, cujus faſtigium contingeret cœlum. Cum hi, qui hoc moliti fuerunt opus, venerint ex *Meſopotamia*, quæ hic vocatur *Oriens*, reſpectu ſcilicet *Sinearis*, quare dicuntur veniſſe מקדם, *ex Oriente*, id eſt Meſopotamia, vel inferiore *Armenia*, *prima* & *antiquiſſima Noachidarum ſede poſt diluvium:* diſtinguuntur hi ſane ſatis ab omnibus illis, qui vel *in Meſopotamia manſerunt;* vel *trans Tigrim* in magis adhuc *Orientalem*, quam ex qua hi venerant urbis & turris conditores, ſe receperunt plagam, ut ibi ſuas ſibi firmarent manſiones.

VII.

Hos vero, quorum temerarium plane ac ſuperbum adeo irritum fecit conſilium Deus, vocat ipſe *populum.* „ Sunt, inquit Jehova, *Gen.* XI. 6. 7. „ *populus unus*, „ eſtque *iis ſermo unus*, atque hoc eſt, „ quod iſti cœperunt facere: jam autem „ non præcideretur iſtis quicquam eorum, „ quæ

„ quæ cogitaverunt facere? Agedum de„ ſcendamus, & confundamus *ibi* ſermo„ nem *eorum*, ut non intelligant *alter ſer„ monem alterius.* Sic diſperſit *illos* Jeho„ va *inde* [ex *illa ſcilicet planitie* in terra Sinear] „ in *ſuperficiem totius terræ:* & „ deſiverunt exſtruere urbem illam. Pro„ pterea vocavit nomen ejus *Babel*, quod „ *ibi* confudiſſet Jehova *ſermonem totius* „ *terræ* (*primævum*, ſcilicet illum *poſtdiluvianum* ſermonem, qui in omnibus, quas ille ſermo tunc incipiebat facere *dialectos*, adhuc ſatis cognitus atque *intelligibilis* erat) „ atque *inde* Jehova diſperſit *eos in ſuper„ ficiem totius terræ.* Accidit ſcilicet his, qui מקדם, *ex Oriente*, profecti, tantum moliebantur machinamentum, id quod Propheta *Eſaj.* VII. 8. Ephraimo minatus eſt: „ Intra ſexaginta & quinque annos, inquit, „ atteretur Ephraim, ut *non* [amplius] „ *ſit populus*, (Conſer quæ in hunc Eſajæ locum in meo *de Chriſti ortu ex Davide* Commentatus ſum *Lib.* I. *Cap.* XVII. *pag.* 288.) Hunc enim, populum, qui hoc molitus eſt opus, ita diſperſit Deus *in ſuperficiem totius terræ*, ut *non manſerit populus*; ſed ut ubique per terrarum orbem inter reliquos terræ populos diſperſus, plane *evanuerit.* Conf. *Pſalm.* LXXXIII. 5.

VIII.

Si quis quærat, quinam illi fuerint, qui talia moliti sunt; atque ideo justo Dei judicio *ita dispersi* sunt super universum terrarum orbem, existimo, nobis sufficere debere, quod Deus eos distinxerit ab omnibus illis, qui ex *Mesopotamia*, vel inferiore *Armenia trans Tigrim Orientem versus*, fortunarum suarum quæsiverunt sedem: de his enim Urbis conditoribus dicitur, quod *ex Mesopotamia*, מקדם, *ex Oriente*, venerint; atque *in Occidentaliore* aliqua terræ parte hanc *planitiem in regione Sinear* invenerint. Ut adeo inter illos recenseri debuerint populos, qui ex Mesopotamia vel inferiore *Armenia* profecti, *non in Oriente*; nec *in Austro*; neque *in Aquilone*; sed *in Occidente* potius suam quæsiverunt mansionem.

IX.

Ego vero, si ad conjecturas paulo essem proclivior, in illam inclinarem sententiam, quod hi urbis & turris conditores fuerint *Ludi* (qui fuit *quartus Semi filius Gen.* X. 22.) filii, & nepotes. Hic enim *unus est ex filiis Semi*, cui in Catalogo Biblico nulli

li tribuuntur filii; cum in eo *omnium reliquorum Semi filiorum* diserte nominetur, ac recensentur posteritas.

X.

Ratio hujus vel *silentii* vel *præteritionis filiorum Ludi* forsitan est hoc in urbis conditores Dei judicium, quo eos *ita dispersit in superficiem totius* terræ, ut *distinctus non manserint populus*; sed per hanc plane *evanuerint* dispersionem. Quam tamen conjecturam, cum ipse a conjecturis sim alienior; ac ubique fere, non nisi solidas soleam quærere, atque admittere demonstrationes, nemini obtrusam velim.

XI.

Priusquam ab hac *Babelica* discedam *linguarum confusione*, duo mihi adhuc videntur discutienda, quæ cum tremendo Dei in urbis conditores judicio historicum videntur habere nexum; quæque merentur, ut hac *in Dissertatione mea historica* quodammodo attingantur. De his agit *Moses* verbis, quæ *Gen.* X. 8---12. contextui, per parenthesin, inseruit. Quorum *primum* spectat ad *Nimrodum*, qui impetu hostili, Venatoris vehementis instar, ex

auſtraliore Aſiæ parte, ubi Pater ejus, *Chus* eum genuerat, hanc *Sinearis regionem*, (quam poſt hanc urbis & turris conditorum diſperſionem, *vacuam* invenit) invaſit, ibique *regni ſui ſedem* collocavit: initium regni ſui faciens *Babelem*, cui & plures eadem in regione adjecit urbes *Gen.* X. 8--10. *Alterum* exponit nobis *Aſſuris* ex *his occidentalioribus Euphratis regionibus receſſum*, non *trans Euphratem*, unde venerat, tantum; ſed *ultra Tigrim* quoque diſceſſum *ad oram ejus Orientalem.* Ubi condidit *Niniven*, quæ temporum progreſſu *ampliſſimi Aſſyriaci imperii* facta eſt *regia;* cuique ſuo etiam tempore alias præterea adjecit urbes *Gen.* X. 11. 12.

XII.

Fui olim in illa ſententia, *Aſſurem* ex hac *occidentaliori Euphratis regione*, quam in prima diviſione terræ occupaverat, receſſiſſe, non *ultra Euphratem* tantum, ſed *ultra* quoque *Tigrim in Orientalem Tigris oram*, ad hoſtilem evitandum *Nimrodis* impetum, qui *occidentales has Euphratis* invaſit regiones. Verum, cum *Moſes* non videatur aliquid monere *de metu Aſſuris*, quem ex Nimrodi concepit impetu; ſed tantum dicat, *Aſſurem* ex hac eadem *egreſſum* eſſe regione, a vero mihi non videtur alienum, ſi dicamus, *Aſſurem* ex tremendo illo, quod in conditores Urbis & Turris illius exercuit Deus judicio occaſionem ſponte arripuiſſe, ex vicinia iſtius regionis ſe, & *trans Euphratem;* & *trans Tigrim* recipiendi: ac munitam, & ſtabilem, & ſibi, & poſteris ſuis, ſedem ibi parandi. Videturque, & Conditorum Urbis ac Turris Babelicæ *diſperſio* ſuper univerſam orbis terrarum ſuperficiem; & *Aſſuris receſſus* ex hujus regionis vicinia *trans Euphratem* & *Tigrim*, cauſa fuiſſe, cur *Nimrod*, ſua quærens invaſione alienas ſedes; atque has *a diſperſione* hujus Urbis, & Turris conditorum; & *a receſſu Aſſuris* vacuas inveniens, in ipſa illa perturbati atque interrupti operis regione, quæ ab ea perturbatione, & confuſione labiorum nomen *Babel* nacta eſt, prima Regni ſui poſuerit fundamenta: unde id progreſſu temporis auxit, & aliarum urbium adjectione amplificavit. *Gen.* X. 10. Non enim dicitur de *Nimrodo*, quod interfuerit, cum occuparentur homines in ſtructura hujus Urbis, ac Turris; ſed *Moſes* de *Nimrodo* tantum dicit, quod *iſtic loci*, qui ex labiorum confuſione dictus fuit *Babel*, primordia regni ſui poſuerit.

XIII.

XIII.

Series rerum, quæ *inter Pelegi ortum*; ac *Nimrodiani regni primordia* acciderunt, ita videtur ordinari debere. *Pelegi ortus* distat *a Diluvio per centum & duos* circiter *annos. Gen.* XI. 10--16. *Pelegi* tempore orbis terrarum inter Noachi filios *divisus est.* Hæc enim denominationis, cur Heberi hic filius *Peleg* nominatus fuerit, fuit ratio. *Gen.* X. 25 *Pelegi* itaque tempore, quod *a Diluvio vix per centum* abfuit *annos*, occupare cœperunt *Japhetitæ borealiorem Asiæ partem*; ut & *Asiam Minorem*; ac *Europam*: quemadmodum eodem tempore *Chami posteri Australiorem Asiæ partem*; oram maritimam *interioris Maris*; atque *Africam* inter se cœperunt dividere: id quod quoque *Semitæ* eodem cœperunt facere tempore *circa utramque* & *Euphratis* & *Tigris ripam.* Quare Sem dicitur Pater omnium, עבר בני, *Ripariorum.* Confer quæ diximus supra *pag.* 160--166. *hujus Dissertationis.* Hoc autem in opere *divisionis* & *occupationis Orbis terrarum*, cum occuparentur Noachi filii, ac nepotes accidit,

1. Ut aliqui *ex Semi filiis*, aut *nepotibus* (per *Ludum, filium Semi*, ex eo forsitan nati,

nati, confer conjecturam nostram supra *pag.* 199. 200.) in itinere, ad occupandam suam hæreditariam possessionem, invenerint *illam in Sinear planitiem*: quæ cum ipsis videretur commoda satis, ut ibi sedem suam & mansionem collocarent, ac firmarent, ibi substiterunt, atque urbem & turrim illam cœperunt exstruere. Quod eorum consilium severissimo, ac justissimo suo irritum fecit DEUS judicio: confundens eorum linguam; ac eos per universum dispergens ac dissipans terrarum superficiem, adeo ut *distinctus ab aliis* non manserint *populus.*

2. Ut *Assur*, perterritus tremendo hoc, in hos Urbis & Turris conditores, DEI judicio (Etiamsi non videatur ullam in illa horum conditorum molitione habuisse partem) consilium ceperit, vicinam, quam occupaverat, regionem, commutandi cum nova sede & mansione: quam sibi quæsivit & firmavit, non tantum *trans Euphratem*, sed etiam *trans Tigrim* ipsum, ad *ripam* scilicet ejus *Orientalem.*

3. Ut Nimrod, quærens novam sedem, qua erigeret & firmaret sibi ac posteris suis Regnum; atque hanc regionem *Sinear*, ut & ei vicinam, ex qua *Assur* se recepe-

ceperat *trans Euphratem*, & *Tigrim*, vacuam inveniens, *ibi novi ſui regni* poſuerit *primordia*.

XIV.

Tantum *de Babelica linguarum confuſione*, ac de iis, quæ apud *Moſen* hiſtoricam cum ea habent connexionem.

CAPUT QUARTUM

DE

LINGUA HEBRÆO-BIBLICA.

I.

Linguam Hebræo-Biblicam eandem eſſe *cum lingua primæva ante-diluviana*, atque hinc *omnium* omnino *Dialectorum* eſſe *matrem*, tantum non omnium Hebræorum Grammaticorum eſt opinio. Exiſtimat eruditiſſimus *Bochartus*, cujus auctoritas apud Hebraice doctos quam plurimum valet, id ſatis vel inde probari poſſe, quod *nomina propria* hominum & locorum, *in libro Geneſeos* occurentia, ſint, quan-

quantum ad normam, & analogiam ſuam, *Hebraicæ originis*. Ad quod Bocharti argumentum, videtur & alterum addi poſſe argumentum, petitum ex eo, quod, quemadmodum *primæva Adami lingua*, atque *ejus uſus in Adamo divinæ* plane *originis* atque *auctoritatis* fuit: ſic quoque *lingua Hebræo-Biblica* ejusdem *divinæ originis & auctoritatis* in *Prophetis*; DEI *interpretibus*; ac *amanuenſibus* fuerit. Ut enim *primæva Adami lingua divinæ* fuit *originis* & *auctoritatis* (Conf. hujus *Diſſert. Cap.* I. *pag.* 148.) ſic quoque *lingua Hebræo-Biblica* in Librorum ſacrorum *Scriptoribus divinæ* fuit, atque adhuc dum eſt *originis*, & *auctoritatis*. Certum enim atque indubitatum eſt, *Viros DEI ſanctos*, qui ſacra in ſacris Bibliis conſcripſerunt Oracula, *a Spiritu Sancto* non minus accepiſſe, *ipſa illa verba*; quibus DEI mentem, non tantum quantum, ad τὸ τι; ſed etiam quantum, ad τὸ πως, expreſſerunt. Confer. *Matth.* X. 19. 20. cum *Act.* II. 4. Add. 2 *Sam.* XXIII. 2. 3. & *Rom.* XV. 18. 19. NB. 1 *Cor.* II. 13.

II.

Ad quod ſi porro addamus, *vero admodum ſimile* eſſe, Deum in ſuis Patriarcharum,

rum, inde ab Adamo usque ad Mosen (qui primus inter sanctos Dei viros, instinctu Sp. Sancti extraordinariam divinæ sapientiæ, & voluntatis de via Salutis patefactionem hac *lingua Hebræo-Biblica* scripto comprehendere cœpit) visitationibus, hac *eadem Hebræa* suam explicasse mentem; ac *Patriarchas Antediluvianos* & *Postdiluvianos* ea, quæ ex ore Dei acceperant, *eadem illa*, qua ea ex ore Dei audiverant *lingua*, *in domesticos suos* retulisse *Commentarios:* ex quibus Moses, moderante eum Sp. S. ea, quæ *in Genesi* tradidit, hausit (Hujusmodi *Commentarius domesticus* fuisse quoque videtur *Jobi Liber* usque ad Ezekielis, apud quem DEUS eum una cum Noacho, & Daniele, *Cap.* XIV. 14. 20. laudavit, tempora: unde inter sacros libros locum videtur invenire cœpisse; ac ab Ezra, & Synagoga Magna in Canonem redactus) Possemus quoque inde argumentum petere *admodum probabile* pro *linguæ Hebræo-Biblicæ* cum *primæva Adami lingua convenientia.*

III.

Sed hoc *Bocharti*, & quæ addidi *argumenta* arguunt quidem, aliquam vel *similitudinem*, vel *convenientiam* inveniri posse

posse, *primævam illam antediluvianam*, atque *Adamiticam* in primis, inter, ac inter *Hebræo-Biblicam linguam:* verum *identitas* harum linguarum, de qua sola hic disputamus, inde feliciter satis *neutiquam probari posse* videtur. Linguæ enim *Adamiticæ;* atque *antediluvianæ* prorsus *nulla* exstant monumenta: quare de ea hic (versamur enim in quæstione facti) nihil certi definire possumus. Sed linguæ *Hebræo-Biblicæ* admodum multa in Voluminibus sacris prostant documenta, ex quibus certissimas de *illa Hebræo-Biblica* lingua dare possumus definitiones.

IV.

Num vero cum *primæva postdiluviana lingua* majorem habuerit convenientiam *lingua Hebræo-Biblica*, quam cum *primæva antediluviana* habuerit lingua, plane est incertum. Vidimus enim *pag.* 180-183. *Aramæam veterem linguam*, *eam* antiquis illis temporibus fuisse *linguæ postdiluvianæ dialectum*, per quam *lingua primæva postdiluviana* progressu temporis tantum non omnes suas peperit, & propagavit *dialectos.*

V.

Aſt quæritur, annon *lingua Hebræa*, qua ſancti Dei viri in conſignandis oraculis divinis, Spiritus ſancti inſtinctu, uſi ſunt, *aliqua in Gente* fuerit *Vernacula*, id eſt, *quotidiani in mutuis commerciis uſus*? Atque num ex *veteri Hebræa lingua* nihil, quam quod *in ſacris invenimus Bibliis*, amplius ſuperſit? Ad quam duplicem interrogationem reſpondeo, quod etiam ego, ita edoctus a Præceptoribus meis, nimis diu in ajente fuerim ſententia: quare ante XXX. & amplius annos non dubitavi in *Commentario meo Belgico*, *de Veris DEI viis*, *Libr.* IV. *Cap.* VII. *pag.* 721. 722. eam *Iſraelitarum vernaculam* vocare linguam. Sed perpetuum meum, ac nunquam intermiſſum (valuit enim hic apud me, a prima juventute ad hanc ætatem uſque, *Appelleium* illud: *Nulla dies ſine linea*) linguæ Hebræo-Biblicæ ſtudium me tandem docuit, *hoc Grammaticorum aſſertum*, * quod *lingua Hebraica* olim alicujus

* [*Quod lingua Hebraica olim alicujus gentis, Iſraeliticæ ſaltem, fuerit Vernacula*] Eſt, qui aliis perſuadere conatur, quod priori meæ ſententiæ contradicam, ac nunc plane negem, linguam Hebræam Iſraelitis unquam vernaculam fuiſſe: ſed errat, ac ſuum nimis more ſuo præcipitat judicium: dico tantum, hoc aſſertum eſſe inter ea, quæ ob defectum idonei ex caſta, & non vitiata antiquitate teſtimonii hiſtorici *adhuc* probata *non* ſunt, atque probari *nunc non* poſſunt; quare ego hoc *nec* amplius *affirmo*; *nec* nunc *nego*: ſed *in medio relinquo*; ſuſpendo tantum de hoc aſſerto meum judicium. Non audeo enim in quæſtionibus facti, qualis hæc eſt, aliquid affirmare vel negare, antequam videam *idonea teſtimonia hiſtorica*, repetita ex *caſta* & *neutiquam corrupta antiquitate*. Quæ & qualia hic proferri ex antiquis poſſe monumentis, non exiſtimo. Non eſt *Dubitantis*; ſed tantum Affirmantis probare. Affirmanti enim tantum incumbit probatio.

jus gentis, *Iſraeliticæ* ſaltem, fuerit *vernacula*; atque apud eam frequentiſſimi *in quotidiano commercio* fuerit uſus, inter illa eſſe, quæ adhuc nunquam probata ſunt; ac quoque *nunc* neutiquam probari poſſunt.

VI.

Eſt enim hæc *quæſtio facti*, quæ non niſi *Idoneis*, *ex caſta*, ac *neutiquam depravata antiquitate petitis*, *teſtimoniis hiſtoricis decidi*, ac *demonſtrari* poteſt. Qualia cum *apud Moſen*, & *reliquos Scriptores ſacros* (qui *uni* hac in re *tantum idonei* citari poſſunt teſtes) nuſquam proſtent, concludo, *hanc*

hanc facti quæstionem ita comparatam esse, ut definiri, ac decidi nequeat. Confer, quæ nuper tradidi in novissima Editione *Commentarii mei belgici, de Christi Ortu ex Davide. Libr.* I. *Cap.* XVI. §. LIV.-LXII. *pag.* 270--274.

VII.

Si quæras porro, num *in domestico* apud Patriarchas *commercio lingua Hebræa* non habuerit locum? Respondeo, me id *nec negare; nec affirmare* posse, quia nullum, quo mea hic niteretur vel negatio, vel affirmatio, *idoneum* habeo *testimonium*. Sine quo mihi non licet in *quæstione facti* aliquid definire.

VIII.

Cum vero *Patriarchæ*, postquam a Deo evocati sunt, tantum non omnes cum suis familiis, *ad Mosis tempora* usque, *inter alias gentes peregrinati* sint: Videtur mihi magis *verosimile*, quod domestici ac familiares eorum *in domesticis suis negotiis* eadem usi fuerint lingua, quam *in commercio quotidiano* in illa, apud quam peregrinabantur, usurpare debuerunt gente. Sic Abraham *in Mesopotamia* procul omni dubio

bio locutus est *veterem Aramæam linguam*, quæ ei *tunc* fuit *vernacula*; & *in Canaane linguam Cananæam veterem*. Jacobus cum filiis suis in *Paddan Aram* itidem locutus est *linguam Aramæam veterem*; ac redux in Canaan, *Veterem Cananæam*; & in Ægypto tandem *linguam Ægyptiacam*, quemadmodum id citato loco *Commentarii mei, de Christi Ortu ex Davide*, assertum ivi.

IX.

Restat, ut inquiramus, annon Patriarchæ *in sacris domesticis* eam adhibuerint linguam, qua Deus oracula sua per viros θεοπνεύστους postea conscribenda curavit. In affirmantem hic valde inclino sententiam. Dixi enim citato *Commentarii mei, de Ortu Christi ex Davide*, loco, Deum forsitan inter alias rationes, ad conscribenda oracula sua hanc elegisse linguam, quia ipse hac lingua in visitationibus Patrum iis sua explicavit mysteria: possemusque addere, (quemadmodum supra *pag.* 208. monuimus) vero admodum simile esse, quod Patriarchæ Antediluviani mysteria fidei & salutis *eadem illa lingua*, *qua* ea ex ore Dei acceperant, *in domesticos suos* retulerint *Commentarios*, ex quibus Moses, moderante

cum Spiritu ſancto, ea, quæ *in Geneſi* narravit, repetiit. Ut adeo hæc *Hebræa lingua* Iſraeli tunc temporis, quo Deus ſacra ſua per Moſen ſcripto comprehendi juſſit, *per hunc ſacrum* ejus apud eos *uſum ſatis cognita;* ac *ſine fanatiſmo* (Procul hinc procul ſunto *Profani. Calumniæ* enim *ingenii* ab *his* abeſſe debent *ſacris.* Nam apud Deum eſt *tremenda Majeſtas!*) *perceptibilis*, atque *intelligibilis ſatis* fuerit. Hæc vero licet ſe ita habere videantur: non auderem tamen hoc pro certo atque indubitato affirmare: quia etiam hic *in quæſtione* hac *facti* ſatis *idoneis* ac *ſufficientibus hiſtoricis* deſtituimur *teſtimoniis.* Niſi forſitan inde aliquid præſidii petere poſſe videamur, quod Jacob *Gen.* XXXI. 47. 48. *acervum teſtimonii* nomine *Hebræo*, גלעד, nominaverit; quem Laban ex *Veteri* lingua *Aramæa* vocaverat יגר שהדותא.

X.

Sed eſto. Sit DEUS locutus Patribus *in viſitationibus ſuis hac ipſa lingua*, qua *Biblia* deinde conſcribenda curavit, (de qua *nunquam dubitavi*, atque *etiamnum non dubito*) inde tamen *apodictice* concludi neutiquam poteſt: ergo & *patres ipſi in domeſticis ſuis ſacris* hanc eandem uſurparunt linguam. Quicquid autem hujus rei eſt,

eſt, id certum novimus, Deum ſuas, eaſque ſapientiſſimas, habuiſſe rationes (inter quas & illa videtur fuiſſe, quod Gentes hac *ſingulari*, ac *ipſis peregrina*, lingua, non minus, quam per legem, tanquam parietem intergerinum, a myſteriis ſuis voluerit excludere. Conf. *Pſalm.* CXLVII. 19. 20. cum *Rom.* III. 2. & *Eph.* II. 14. ac *Deut.* XXXIII. 4. Et adde, quæ in noviſſima editione *Commentarii mei, de Chriſti Ortu ex Davide. Libr.* I. *Cap.* XVI. §. LXI. *pag.* 273. nuper tradidi) cur hanc, quam *Hebræo-Biblicam* ob graviſſimas voco rationes, in conſcribendis oraculis adhibendam curaverit. Ut adeo præter *ſacram Scripturam*, *nullum* prorſus proſtet *ſcriptum:* nec probari poſſit, ullum aliud (*domeſticos Patriarcharum antediluvianorum & poſtdiluvianorum commentarios*, qui nuſquam amplius exſtant, ſi excipiamus) unquam exſtitiſſe ſcriptum aut monumentum: ex quo de lingua hac *Hebræo-Biblica* aliquid certi definire, ac ſtatuere queamus. Accedit, quod noſtram hanc ratiocinationem adhuc *probabiliorem* facit, quod Moſes, (de quo non temere dixit accuratiſſimus *Calmetius*, quod DEI NOMEN tempore illo, quo *Moſes* ſuum ſcripſit *Pentateuchum*, apud nullum fere, præter *judaicum*, cognitum fuit *populum*,)

ipſe ille ſit, qui juſſu Dei *primus extraordinariam divinæ ſapientiæ*, ac *voluntatis de vera ſalutis via patefactionem ſcripto* comprehendit; quique juſſu DEI *parietem illum intergerinum inter Iſraelitas*, & *reliquas Gentes* erexit (*Eph.* II. 14. *coll. cum Pſ.* CXLVII. 19. 20. & *Act.* XIV. 16.) quare alienum ab iſto quoque ſcopo non videtur, *eundem Moſen* eundem in finem in conſcribendis ſuis Commentariis *ſingulariſſimam hanc* (quam ob graviſſimas, ut monui, rationes *Hebræo-Biblicam* vocamus) adhibuerit linguam. Ut *hæc* reliquis *Gentibus* tunc prorſus *incognita lingua* eas non minus *a ſacris Iſraelitarum* arceret, ac *paries ille intergerinus*, a Moſe juſſu Dei erectus, id faciebat.

XI.

Quamvis decreverim *hac in Diſſertatione hiſtorice* tantum procedere; ac *litibus Grammaticorum* me non immiſcere: non poſſum tamen mihi temperare, quo minus de certo aliquo *Grammaticorum* præcepto meam hic dicam ſententiam. Dicunt *Grammatici Hebræi* omnes (quorum auctoritatem & dominium ipſe etiam nimis diu hic agnovi) *Vocabulorum* ac *Verborum Hebræorum radices a tertia perſona Præteriti* KAL repeten-

petendas eſſe: putantque, ſi *alicujus Verbi conjugatio* KAL *in ſacris Bibliis* non ſit *in uſu*, *radicem iſtius Verbi* non tantum, ſed *omnium* quoque ejus *derivatorum vocabulorum radicem* perditam; atque aliunde eruendam eſſe.

XII.

Multa admodum incommoda peperit hæc *Grammaticorum* regula. Orbavit enim linguam hanc *Hebræo-Biblicam* nativa ac genuina ſua notionum *ubertate* atque *opulentia*: arctiſſimisque eam adeo conſtrinxit vinculis, ut naturalem vocabulorum ſuorum vim & ἐνέργειαν exſerere nequeat; omnemque ſuam venuſtatem, elegantiam, ſplendorem, atque evidentiam, (qua *picturæ* inſtar vocabulorum ſuorum *notionem* quaſi depingere, & delineare ſolet) abſcondere cogatur.

XIII.

Habere linguam *Hebræo-Biblicam* verba *defectiva*, quorum conjugatio *Kal* non eſt in uſu, certum eſt: ſed id habet hæc lingua cum linguis, *Græca* & *Latina*, commune. Habent enim & hæ linguæ plurima verba *defectiva* & *anomala*. Sed inde

non ſequitur, ergo *radix* eorum eſt *perdita*, atque *aliunde eruenda*. Qui id de lingua *Hebræo-Biblica* affirmant, plura concludunt, quam præmiſſæ ferunt. Recte inde infertur: ergo lingua *Hebræo-Biblica* habet quoque verba *defectiva*; ſed neutiquam inde concludere licet, ergo perdidit lingua *Hebræo-Biblica* quasdam, easque bene multas, ex *radicibus* ſuis.

XIV.

Præter hoc incommodum, quod *Grammaticum hoc præceptum* peperit, adverſatur id ipſi quoque *Rationi*; atque aliarum linguarum genio, & Conſuetudini. *Latini* & *Græci* habent omnia *vocabula ſubſtantiva ſimplicia* (quæ a *compoſitis* & *derivatis* diſtinguere ſolent) pro vocabulis *radicalibus*: & hæc eorum regula ab ipſa confirmatur Ratione. Quid enim *Rationi* magis conveniens eſſe poteſt, quam quod ſimplicia *vocabula ſubſtantiva*, ſint *radicalia*: ex quibus *omnia reliqua*, ſive *compoſita*, ſive *derivata* ſuam habent *Originem?* Quænam itaque hæc eſt *tyrannica linguæ Hebræo-Biblicæ oppreſſio*, qua *Gammatici* ei negant, quod ipſa ei competere affirmat *Ratio?*

XV.

Fruatur ergo & *lingua Hebræo-Biblica* hoc privilegio, quod ad eam non minus, quam ad alias pertinet linguas: excutiat *tyrannicum illud Grammaticorum jugum*, quod *radicalem* vim *vocabulis ſuis ſubſtantivis ſimplicibus* eripit; & ad *tertiam perſonam præteriti Kal*, contra omne jus & æquum, transfert.

XVI.

Annon in lingua *Hebræo-Biblica* id æque, quam *in aliis linguis* obtinet, quod *Vocabulum* ejus *ſubſtantivum ſimplex* prius & clarius innoteſcat, quam *verba* ejus innoteſcere ſolent. Annon prius & clarius percipio, *vocabulum*, דָּבָר, ſignificare *ſermonem*: quam intelligo, *Verbum*, דָּבַר, ſignificare, *locutus eſt; verba fecit; loqui; verba facere; ſermonem habere?* Annon prius & clarius percipio, *vocabulum*, בֶּגֶד, ſignificare *perfidiam*; quam intelligo, *verbum*, בָּגַד, ſignificare, *perfide egit; perfide agere?*

XVII.

Potéstque hoc sine erroris metu de omnibus omnino vocabulis, *duplici segol*, affirmari; quemadmodum etiam id de omnibus illis, quæ ad eorum formam analogice formata sunt, verum est vocabulis, quod omnia & singula hæc sint vocabula *primitiva*, & *radicalia*: quæ *aliunde derivari*, nec possunt; nec debent. In equuleum conjiciuntur, & miserandum in modum torquentur hæc vocabula, *duplici segol*, quoties quis id moliatur, ut ea aliunde derivet. Exemplo esto nobis vocabulum, מֶשֶׁק. Abrahamus hoc vocabulo expressit *munus Eliezeris*, qui servorum suorum princeps; ac domesticarum suarum rerum *Curator*; vel *Administrator* erat *Gen.* XV. 2. (Conf. *Gen.* XXIV. 2.) בן משק ביתי הוא דמשק אליעזר. Quam torquent & vexant hoc vocabulum, מֶשֶׁק, qui id derivant a verbo שָׁקַק? Et licet *vocabulis duplici segol* omnibus & singulis manifestam adeo *vim non inferant suis derivationibus*: ostendunt tamen, se ejusmodi *derivationibus*, vel *ridiculas* plane eruere *notiones*; vel magno conatu nil nisi magnas (licet sæpe

sæpe variam ac multiplicem mentiantur eruditionem) agere *nugas*. Præstat enim procul dubio, ex *vocabulo substantivo*, אזן, quod significat *aurem*, *derivare verbum*, אזן, *audivit*; *aurem præbuit*; *audire*; *aurem præbere*: quam secundum *tyrannicam* illam *Grammaticorum regulam* fateri, quod *radix* vocabuli substantivi אזן, sit perdita: quia scilicet conjugatio KAL, אזן, in textu Biblico nullum habet usum. Nec multum lucis afferunt vocabulo, ארץ, qui dicunt ejus radicem, ארץ, deperditam; atque aliunde eruendam esse. Cum Deus *Gen.* I. 10. ipse huic vocabulo suam dedit notionem: quæque ei per usum & homonomiam suam ubique in Scriptura satis confirmatur.

XVIII.

Verum *simplicia vocabula substantiva Hebræo-Biblicæ linguæ* non sola sunt, quæ per hanc *violentam Grammaticorum regulam* injuriam, neutiquam ferendam, patiuntur: sed *voculæ quoque* illæ, quas *particulas* vocare solemus, *principe sua* per hanc regulam *spoliantur virtute*. Habet enim lingua *Hebræo-Biblica* id præterea peculiare, (quam

(quamvis & talem particularum uſum apud Latinos quoque ſubinde offendamus) quod tantum non omnes ejus *particulæ* ſint *radicales voces:* ex quibus admodum multa ejus *vocabula* & *verba* derivari non tantum poſſunt; ſed etiam debent. *Clariſſ. Danzius* egregie docuit in ſuo *Interprete Hebræo*, *Particulas Hebræo-Biblicæ Linguæ* tantum non omnes eſſe *nomina appellativa:* addo ego, eas tantum non omnes eſſe *vocabula primitiva* & *radicalia.* Exemplum unum & alterum evincent ſatis, id quod hic affirmo. *Particula*, עַל, ſignificat *ſupra.* Ex eo derivatur *verbum*, עָלָה, quod ſignificat *adſcendere*, *ſuperiora quærere;* & vocabulum עֶלְיוֹן, *ſuperior*, *ſupremus*, *excelſus. Particula*, עַד, ſignificat *ad.* Hinc derivatur *vocabulum*, עֵד, quod ſignificat vel *teſtem*; vel *teſtimonium:* quia vel *teſtis adduci*, vel *teſtimonium adferri*, atque *addi* ſolet ad firmandam veritatem. Ex eadem illa quoque *particula*, עַד, quæ ſignificat *ad*, derivatur, & *vocabulum*, עֵדָה, quod ſignificat *cœtum*, *ſocietatem*, quæ conſtat ex *ad*junctione plurium, qui ejusmodi componunt *cœtum* ac *ſocietatem*; & *verbum*, יָעַד, quod ſignificat *condixit con-*

gre-

gregationis vel *tempus*, vel *locum: quo* ſocietatis ſe membra *conjungere;* vel ſe ſibi invicem *ad*jungere, ad cœtus habendos, debent. *Particula*, עִם, ſignificat *cum.* Hinc derivatur *vocabulum*, עַם, quod ſignificat *populum*, qui conſtat ex *con*junctione plurimorum hominum, per certas inter ſe leges *con*junctorum, qui ſinguli *cum* ſociis ſuis *con*juncti conſtituunt *populum. Particula*, בֵּין, ſignificat *inter.* Hinc derivatur verbum בִּין, quod ſignificat, *intelligere*, id eſt, *percipere id*, quod res a ſe invicem *diſtinguit;* clare & *diſtincte* aliquid *percipere.*

XIX.

Facta autem eſt ejusmodi *derivatio* in *contextu Hebræo-Biblico*: ſive *Verbi*, ſive *nominis appellativi*, ex *primitivo* & *radicali vocabulo;* aut ex *particula:* vel per *punctorum vocalium mutationem*, ſic ex *Vocabulo* דָּבָר, derivatum eſt *Verbum*, דִּבֵּר, (id quod non leve *pro antiquitate punctorum vocalium* ſuggerit argumentum. Habuit enim lingua Hebræo-Biblica ſemper *ſua*, ex certa radice, *derivata Verba;* & *nomi-*

na

na appellativa) vel * facta est illa *derivatio* sive per *additionem*; sive per *ablationem* alicujus ex *litteris Veheemanticis litteræ:* sive per *metathesin* quarundam litterarum; sive per *litterarum unius Organi permutationem* vel *alternationem.* Sic ex *particula*, עַר, derivatum est *vocabulum*, עַר, & עֵרָה, ut & *verbum*, יָעַר. Atque ex *paticula*, נגד, derivatum est *Verbum*, הִגִּיד, & nomen appellativum נָגִיד, & sic de cæteris. Atque hinc est, ut in vocabulis

* [*Facta est illa derivatio, sive per additionem; sive per ablationem*] Docuit nos *Clariss. Danzius*, vocabulum vel אֲנָשִׁים, ortum esse ex vocabulo, נָשִׁים, *per prosthesin* תֵּ, א; vel vocabulum, נָשִׁים natum esse ex Vocabulo אֲנָשִׁים *per aphæresin* תֵּ, א. Conf. *pag.* 162. Ac vix, & ne vix quidem dubitare possumus, quin nomen אָדָם, A D A M, quod hominis primi *proprium*; & hominum collective sumtorum *appellativum* factum est *nomen*, sit ortum ex vocabulo, דָּם, *Dam*, *sanguis*, *per* prosthesin תֵּ א. Erat quippe corpus primi hominis ex prima *sui formatione*, & *figuratione* pulvis, idest, *pulveri coloris*: Vide *pag.* 87. & 90. sed per inspirationem Dei, atque interiorem humorum agitationem, accepit illud corpus *sanguineum*, rutilantem & *vividum* colorem. Qui *sanguineus* corporis animalis color, cum in humano præcipue corpore, quantum ad exteriorem ejus superficiem, sit *conspicuus*, utpote qui in brutis animalibus, quia cute *hirsuta*, vel *lanosa* vestita sunt, *conspicua* adeo non est; hinc videtur homo a *sanguineo* suo hoc ac *vitali* colore suum accepisse nomen ADAM.

bulis *Hebræo-Biblicis* illas sæpe distinguere debeamus *Etymologicas* Grammaticorum *figuras*, quæ vocantur: *Prosthesis*; *Epenthesis*; *Paragoge*: ut & *Aphæresis*; *Syncope*; & *Apocope.* Particula enim נגד, significat *coram.* Atque hinc derivatur verbum הִגִּיד, quod significat indicavit, *coram stitit*, annunciavit; & vocabulum נָגִיד, quod significat *antecessorem.*

X X.

Hæc sufficiunt, opinor, exempla, ad indicandum, quid velim: ipsa nimirum *simplicia vocabula substantiva*; atque ipsas *particulas* in lingua *Hebræo-Biblica* esse *voces radicales*: ex quibus *notio vera* ac *genuina* omnium vocabulorum *derivatorum*; & *verborum* istius linguæ, *derivari*, *illustrari*, & *confirmari* debeat: atque eam notionem neutiquam *apud tertiam præteriti* KAL *personam* quærendam esse. Quod si vero *verbum* ad indicandam vocabulorum Hebræo-Biblicorum *radicem*, arcessi debeat: respiciamus potius ad *infinitivum*, aut ad *participium*, quam *ad tertiam præteriti* KAL. Solent enim *infinitivus modus*; & *participium* in contextu Hebræo-Biblico sæpe quasi *nominascere.* Quando *infiniti-*

vus habet rationem *ſubſtantivi*; & *Participium rationem adjectivi nominis.*

XXI.

Præterire præterea non poſſum, hunc Grammaticorum Canonem [*radices* vocabulorum *Hebræo-Biblicorum a tertia Præteriti* KAL repetendas eſſe] non minorem vocabulorum *Hebræo-Biblicorum* (ut de multiplicibus *hujus Hebræo-Biblicæ linguæ Synonymis*, quæ in omnibus linguis *ad copiam verborum* referri ſolent, nunc nihil moneam) *Homonymiæ* injuriam facere: quam facit *ſimplicibus vocabulis ſubſtantivis*; ac linguæ Hebræo-Biblicæ *particulis*. Abundant enim *Vocabula Hebræo-Biblica* varia valde ac multiplici *homonymia*: quæ illorum vocabulorum *abundantiſſimam* atque uberrimam notionum *opulentiam*; *vim*; *ἐνέργειαν*; & *evidentiam* quam luculentiſſime manifeſtam facit: hanc autem *ubertatem*; *opulentiam* atque *evidentiam* exſerere atque indicare non poſſunt vocabula *Hebræo-Biblica*, ſi omnia & ſingula, ſecundum Tyrannicum hunc Grammaticorum canonem, ad *jejunam* ſæpe *tertiæ Præteriti* KAL reſtringi debeant *notionem*. Sic enim Vocabulis *Hebræo-Biblicis primitivis*, & *radicalibus* præcluditur fons, ex quo *ubertas*, atque *opulentia notionum* eorum emanare potuiſſet, ac debuiſſet. Atque ita Linguæ Hebræo-Biblicæ *radicalibus vocabulis*, de quorum defectu ac penuria vulgo, ſed admodum temere, conqueri ſolent Grammatici, abundantiſſima ſua reſtituitur ubertas.

XXII.

Videtis quam multa (poſſent plura addi, ſed hæc, opinor, ſufficiunt) incommoda pepererit Grammaticus hic Canon [*radix appellativorum nominum* & *verborum* repeti debet *a tertia præteriti* KAL] Videamus nunc, quid commodi allaturum ſit, ſi *vocabula ſimplicia*, & *particulas linguæ Hebræo-Biblicæ* agnoſcamus *vocabula* eſſe *primitiva* & *radicalia*.

XXIII.

Una hæc obſervatio componet atque auferet nobis tædioſum illud plane Grammaticorum Hebræorum certamen, de invenienda vera, per meram, ac diſſonam prorſus conjecturam, nominum appellativorum *radice* apud tertiam Præteriti KAL. Vult enim HIC *nomen appellativum* derivandum *a tertia præteriti HUJUS Verbi*; atque

ALTER *a tertia præteriti ILLIUS verbi.* Immo dantur, qui ipſi non audent a certi alicujus verbi, *tertia Præteriti* KAL, *nomen appellativum*, de cujus origine diſputatur, derivare, ſed vel ad *duo;* vel ad *tria* reſpiciunt *verba*, ex quorum *tertia præteriti* KAL *radicem dubiam*, ac plane *incertam*, per ingenioſam quidem *conjecturam*, ſed non ſine nimis ſubtili tamen metaphyſicatione, & ſophiſticatione derivari poſſe exiſtimant. Hi linguam Hebræo-Biblicam *obſcuritatis* & *ambiguitatis* valde ſuſpectam reddunt: atque apud Libertinos; Atheos; & linguæ Hebræo-Biblicæ oſores in contemtum plane adducunt. Omnia quæ incommoda prorſus evitamus, ſi agnoſcamus *vocabula ſimplicia;* & *particulas* in *lingua Hebræo-Biblica* eſſe *primitiva* & *radicalia* vocabula.

XXIV.

Neque indigemus ad eruendum *verborum radices* anxiis illis & conjecturalibus plane præceptis, ac monitis:

„ Abjice ſerviles, & *tres* ſi forte ſuperſint,
„ Radicem, - - -
„ Sin tantum remanere *duas*, - - -
„ *Unica* ſi remanet, - - -

Nomina enim *ſubſtantiva ſimplicia;* & *particulæ*, *Hebræo-Biblicæ linguæ*, ipſæ indicant, *quot* conſtant *litteris:* vel *duabus;* vel *tribus;* vel, quod raro admodum *contingit*, *pluribus:* Et *Derivatio verborum*, ac *nominum appellativorum* fit, (ut *pag.* 223. & 224. vidimus) vel *mutatione punctorum Vocalium;* vel *litteræ alicujus* ex litteris veheemanticis *additione*, aut *detractione;* aut *litterarum unius organi alternatione;* aut *litterarum metatheſi:* hæc enim omnia ſtatim in oculos incurrunt. Modo in lingua Hebræo-Biblica vulgare illud agnoſcamus, quod in omnibus omnino linguis obtinet: *Verba valent uſu:* & *Etymologias* vocabulorum tantum conſideremus, tanquam quæ notionem, quæ *ex Uſu* nobis jam innotuit, *illuſtrant*, & *confirmant.* Qui vero ſuo etymologizandi pruritu *veram Vocabulorum notionem* tantum ex *primitivis* atque *radicalibus vocabulis* (ne dum, ſi hoc ex *adulterinis*, & * *peregrinis peregrinarum lin-*

* [*Peregrinis peregrinarum linguarum radicibus*] Corrupta illa *Metaphyſica*, quæ *ſubtiliſſimas minutias;* vel *minutiſſimas* ſectatur *ſubtilitates*, nuſquam magis viget quam *in ſtudio Etymologico.* Sive Etymologus

linguarum moliuntur facere *radicibus*) conantur elicere: næ illi oſtendunt, quod magno conatu nil, niſi difficiles atque obſcuras plane agant nugas.

XXV.

Animadvertitis, opinor, quam amplus mihi hic aperiatur *campus Grammaticus*, ſi in eum digredi atque exſpatiari vellem. Ad hanc enim normam ſi quis, quod admodum facile præſtari poſſet, libellum memorialem (nolo enim *Lexica Hebræa* ex manibus Studioſorum excutere) vellet confitere, in quo ex *ſimplicibus vocabulis ſubſtantivis*, ac *particulis* linguæ Hebræo-Biblicæ, *omnia* iſtius Linguæ *Verba*, & *vocabula derivata*, & *compoſita* (ut ut apud Hebræos rariora) derivarentur; ac *notio eorum, ex uſu jam cognita, illuſtraretur*, & *confirmaretur*: videret non tantum ipſe, ſed aliis quoque luculenter demonſtraret, *linguam Hebræo-Biblicam*, nullis

ſe intra unius linguæ terminos contineat; ſive ex collatione *variarum linguarum* ſuas eruat *originationes*. Conſulat modo aliquis *Etymologiſtarum* & Veterum & Recentiorum *tabulas*, animadvertet in iis vix aliquid, præter *ſubtiliſſimas Metaphyſicationes* & *Sophiſticationes*, repræſentari.

lis non tantum laborare defectibus; ſed eam *ad ſcopum DEI*, in Verbo ſuo loquentis, quoque eſſe *uberrimam; evidentiſſimam*; ac *ſufficientiſſimam*. Ut neceſſarium neutiquam ſit, *ſenſum alienum* (id quod per juſtas *ſacræ Hermeneutices* Leges nunquam licet) *aliunde* in ſacram *inferre* Scripturam; ac *Spiritui Sancto*, in ea loquenti, *obtrudere*.

XXVI.

Sed lapſi jam ſunt multi anni, quando adverſus Virum Vener. Benoit, *Linguæ Græcæ Novi Teſtamenti caſtitatem, & puritatem* defendens, demonſtravi (id quod in *Commentario Meo Belgico*, ad verum Pauli ſenſum ex ejus *Epiſtola ad Romanos* eruendum, anno jam MDCXCVIII. [ante annos ſcilicet *quadraginta*, & quod excurrit] monueram, ac pluribus confeceram) contextum videlicet, & *linguam Veterum Scriptorum ad Grammaticorum præcepta* neutiquam examinandam, nedum conſtringendam eſſe: ſed *Grammaticorum canones* e contrario tam diu fingendos & refingendos eſſe, donec *conveniant* cum contextu & *lingua Veterum Scriptorum*.

XXVII.

Monuique præterea ante hos XXVI. annos in Meis in VII^mum. *Caput ad Hebræos*; & *Pſalmum* CX^mum. *Commentariis* (quorum nova Editio prelum exercet) multa quoque a *Grammaticis Hebræis* tradita eſſe, quæ probari non poſſunt; ſed quæ accuratius excuti, atque emendari debeant.

XXVIII.

Verum propoſiti memor, me hac in Diſſertatione noluiſſe agere *Grammaticum*, vel *Litteratorum*, & *Grammaticorum me immiſcere litibus*; ſed hiſtorice tantum diſputare voluiſſe de *Lingua primæva*; *ejusque propagatione*; atque *inde natis Dialectis*, ad hiſtoricam linguæ Hebræo-Biblicæ revertor conſiderationem.

XXIX.

Ex iis, quæ hactenus expendi, ſatis liquere exiſtimo, *Linguam Hebræo-Biblicam*, quemadmodum (licet quam maximam videatur *cum primæva Adami* lingua habuiſſe *convenientiam*. Confer quæ ſupra dixi *pag.* 206-209.) non eſt *antiquioris* alicujus

jus *linguæ*, ſive *antediluvianæ*; ſive poſtdiluvianæ Dialectus: *nullius* quoque *poſterioris Dialecti* immediatam (ſit venia vocabulo) unquam exſtitiſſe *matrem*. Vidimus enim *pag.* 180--185. linguas, *Aſſyriacam*; *Chaldæam*; ac *recentiorem Syram*, non Hebræo-Biblicæ; ſed *Veteris Aramææ linguæ* eſſe *Dialectos*. Ut adeo *lingua Hebræo-Biblica* haberi debeat *pro ſingulari* plane Lingua. Cujus monumenta voluit DEUS *nuſquam*, niſi *in ſolis Veteris Teſtamenti* conſervari *libris*. Quare etiam *hæc Hebræo-Biblica lingua*, ſecundum nativam ſuam explicari non poteſt indolem, niſi ejus interpres *aſſidua* ſacrorum Bibliorum *lectione*; atque *attentiſſima* & *pia* argumenti eorum *meditatione*, eam ſibi reddiderit familiariſſimam: atque inde tanquam *unico* eorum *fonte omnium* ejus *vocabulorum*, ac *particularum* uſum, & *conſtructionem* quam perſpectiſſimam habeat. Ut enim *Ciceronis latinitas* non niſi *ex Cicerone*; & *Terentii Latinitas* non niſi ex *Terentio* erui, ac demonſtrari poſſunt: ſic *lingua Hebræo-Biblica* non niſi *ex contextu Hebræo-Biblico* erui, ac demonſtrari, poteſt: Quare etiam *Quintilianum* illud, quod de Cicerone dixit, hic recte accommodare poſſe videmur: Ille ſe multum profeciſſe exiſtimet, cui *Contextus Hebræo-Biblicus*

blicus valde *placere* incipit. Qui vero linguam Hebræo-Biblicam, ejuſque *vocabulorum notiones aliunde* eruere, atque demonſtrare moliuntur: illi committunt, ut loquuntur *Logici*, non tantum *petitionem principii*; ſed & *ignorationem Elenchi*.

XXX.

Qui ita hac *in lingua Hebræo-Biblica* verſabitur, ipſis experietur documentis, hanc linguam neutiquam *vocabulorum* aliqua laborare *penuria* ac inopia, (ſatisfacit enim quam pleniſſime Dei in Scriptura loquentis ſcopo) ſed eam ex *uberrimo fonte* ſuo, ac *fœcundiſſima vocabulorum & particularum ſuarum radicali virtute*, ac *homonymia* ſuggerere *opulentiſſimum* pariter ac *venuſtiſſimum & liquidiſſimum* ſenſum, quo Deus *mentem ſuam* quam *ſapientiſſime*, *evidentiſſime*, atque *efficaciſſime* ita expreſſit, ut unuſquisque, modo piam adhibeat attentionem, eam maxima cum ſuavitate, & jucunditate percipere atque intelligere queat. Placent mihi vehementer verba *Bochartí in ſuo Phaleg pag. m.* 51. „ Hebræa lingua, inquit, „ habet ſuas veneres, maxime *cum agitur* „ *de rebus ſacris*, quas *cæteræ linguæ non* „ *aſſequuntur*.

XXXI.

XXXI.

Non poſſum, quin hic ſacroſanctæ Theologiæ Studioſos, ac admodum multos Eccleſiarum noſtrarum Paſtores (conciliant enim fenectus & publici muneris mei ratio auctoritatem) reprehendam, ac ſerio perſtringam, quod ſanctæ linguæ *Hebræo-Biblicæ* ſtudium negligenter adeo tractent, ut illam ſibi neutiquam familiarem reddant: Acſi parum intereſſet, num ipſum, in contextu *Hebræo-Biblico* queant *audire*, & *intelligere* loquentem DEUM: Acſi ſufficeret divinæ Mentis interpreti, ex alterius hominis verſione, quam cum ipſo *divino Spiritus contextu* ipſe conferre, atque ad eum examinare, & excutere non poteſt, de tremendi DEI auguſtiſſimis Oraculis pro concione diſſerere. Pudibundus ſane hic eſt multorum Theologorum torpor, cujus rationes ab iis haud dubie exacturus eſt DEUS. Maxime, quod ſupinæ hujus negligentiæ, ac deſidiæ cauſam prætexere queant nullam. Datur enim, nulla lingua, quæ *facilius* addiſci; ac *felicius* memoria contineri poteſt. Sequantur modo meum, quod Auditoribus meis dare, & coram iis ſæpiſſime repetere ſoleo, conſilium. Incipiant quotidie ſtudia ſua *a lectione* & *meditatio-*

tatione unius & alterius contextus Hebræo-Biblici Capitis; & claudant diem *lectione unius & alterius Capitis contextus librorum Novi Teſtamenti Græci.* Hoc ſi faciant, experientur quotidie, *ſanctam Hebræo-Biblicam*, ac *Græcam Novi Teſtamenti linguam* ſibi valde fieri familiarem; atque hanc *ſanctarum ſacræ Scripturæ linguarum cognitionem optimum in ſacram Scripturam & certiſſimum* eſſe *Commentarium.*

XXXII.

Cum vero DEUS* hac *ſingulariſſima* voluerit *lingua* deſcribi oracula ſua, ut illa ſpe-

* [*Hac ſingulariſſima lingua*] Dixi, me *hanc linguam*, ob graviſſimas rationes, *linguam Hebræo-Biblicam* vocare: ut eam ſcilicet diſtinguerem a *recentiore Syra Lingua*, quæ eſt *Veteris Aramæa Linguæ Dialectus*; & in libris Novi Teſtamenti dicitur *lingua Hebræa:* (Conf. *pag.* 184.) ut & *a lingua Hebræo-Rabbinica*; ac *Hebræo-Thalmudica*, & *Cabbaliſtica.* Utpote quæ ab omni omnino *barbara* pura a DEO conſervata eſt *contagione.* Vocaturque hæc ſingulariſſima lingua *Lingua Sancta.* NON; 1. quod per ſe, vel *naturali ſua aliqua ſanctitate ſanctior* ſit aliis linguis; vel 2. quod *Rabbini* (ut non nemo ſarcaſtice ſatis ludificatur) eam *ſanctam* vocant: SED; 1. quod DEUS ea videatur uſus in ſuis, quibus Patriarchas dignatus eſt viſitationibus; 2. Quod DEUS ſua oracula per hanc ſingulariſſimam a ſuis conſcribenda curaverit amanuenſibus; 3. quod DEUS ſua hæc Oracula ſingulariſſima

ſpeciatim lingua *ſuum de æterna hominis ſalute quam clariſſime* ac *ſapientiſſime* explicaret *conſilium*; atque ut ab his oraculis ſuis reliquas, ad præſtitutum tempus uſque, arceret gentes; eaque ſolorum Judæorum committeret fidei (Confer *Pſalm.* CXLVII. 19. 20. cum *Rom.* III. 2.) dubitare non poſſumus, quin Deus hanc ipſam *Hebræo-Biblicam linguam ſua non minus providentia ab omni* omnino *vindicaverit corruptione*; & *defectu*; quam credimus, & adverſus Pontificios ſtrenue defendimus, Deum *univerſam Veteris Teſtamenti ſcripturam* ab *omni omnino corruptionis ſpecie tutam* præſtitiſſe. Atque hinc procul omni dubio eſt, cur Chriſtus Judæos de hac *Dei circa Verbum ſuum providentia* certiores faciens, *litterarum vel minutiſſimarum;* atque *apicum earum* mentionem fecerit. „ Amen quippe, inquit, „ dico vobis, uſque dum præterierit cœ„ lum & terra, *jota* unum, aut unus *apex*

ſima hac lingua *in contextu Hebræo-Biblico* providentia ſua incorrupta adhuc dum conſervat. *Sancta* eſt, & vocatur hæc *lingua*, propter ſanctiſſimum hunc uſum: ut *Tabernaculum* & *Templum* cum omnibus ſuis vaſis olim dicta fuerunt *ſancta*, non ob *interiorem* aliquam & *eſſentialem* eorum *ſanctitatem*, ſed ob *ſanctum eorum uſum.* Hinc Paulus hæc ſcripta vocat 2 *Tim.* III. 15. ἱερὰ γράμματα.

„ *pex* nequaquam prætérierit ex Lege, „ uſquedum omnia facta fuerint. Debitas haud dubie memori mente Deo perſolvere debemus gratias, quod *libros Veteris Teſtamenti* non tantum *integros* nobis conſervaverit; ſed quod *linguam* quoque *Hebræo-Biblicam ab omni omnino corruptione* ac *defectu in hunc uſque diem tutam præſtiterit.*

CAPUT QUINTUM

DE

LINGUÆ ARABICÆ ORIGINE

ET

PROPAGATIONE.

I.

Ut in indaganda *Arabicæ linguæ origine* feliciter verſemur, operæ pretium procul omni dubio facturi ſumus, ſi prius *in ipſorum Arabum* inquiramus *originem.*

II.

II.

Num autem *Arabes* inter *antiquiſſimos poſtdiluvianos* recenſeri queant *populos*, eſt *quæſtio facti:* quæ non niſi *caſtæ*, & *neutiquam vitiatæ antiquitatis* definiri, ac decidi vel poteſt; vel debet *teſtimonio.*

III.

Tale vero teſtimonium cum non niſi ex antiquiſſimis ſacræ Scripturæ libris repeti queat, tuto concludimus, *antiquam Arabum originem* inter ea eſſe, quæ adhuc nondum probata *ſunt;* nec probari *poſſunt.*

IV.

Volumina enim *Moſis* ſi excutiamus, in iis *nulla* plane occurrit *Arabum mentio.* Quod *Moſis* ſilentium tanto magis ſtringit, quia *per integros* XL. *annos Iſraelem* duxit *per ea deſerta loca*, quæ, longo tempore poſt, a prophanis demum ſcriptoribus, *Arabiæ deſerta* dicta fuerunt. Diſtat enim *Moſis ætas* a temporibus Regum Iſraelis, ſub quibus *prima Arabum* exſtat mentio, per *quadringentos*, & amplius *annos*

nos. Quare etiam distinctionis *Arabiæ*, (Conf. quæ *pag.* 136. dicta sunt) in *Felicem*; *Petræam*; & *Desertam* nulla prorsus facta est mentio in Scriptura. Dicta antea, *Deserta* illa loca fuerunt, *Deserta* Arami; & *mixta illa turba* post ea considerata fuit, tanquam quæ habitavit in iis. *Jer.* XXV. 24.

V.

Agit quidem *Moses* de variis istius Deserti regionibus: sed nulla prorsus est inter eas, quæ apud eum ab *Arabibus* nomen habet. Nomen *Arabiæ*, & *Arabum* nusquam occurrit *in Mosis Pentateucho.*

V I.

Quam altum *Arabum* est silentium *in Mosis Pentateucho:* tam altum quoque eorum est silentium *in libris Josuæ*; *Judicum*; *Ruthæ* &c.

V I I.

Jobi librum solent tantum non omnes ejus interpretes inter antiquissimos sacræ Scripturæ recensere libros. Quod si (est enim etiam hæc facti quæstio) *idoneis antiquitatis* probari queat *testimoniis*, luculentissimum nobis quoque *hic Jobi liber* præberet argumentum, *Arabes Jobi tempore inter antiquos* nondum recensitos fuisse *populos.*

V I I I.

In toto enim *Jobi libro* nomen, nec *Arabis*, nec *Arabiæ*, usquam reperitur: tantum abest, ut *Jobus* ipse isto in libro considerari debeat, tanquam qui *Arabs* fuerit; vel *cujus lingua* fuerit *Arabica*, (Confer quæ de *Jobo*; supra, *pag.* 169. *ejusque origine;* & *dialecto* dicta sunt) ut ne nomen vel *Arabis*; vel *Arabiæ* usquam eo in libro occurrat.

I X.

Atque hoc tanto magis stringit, quia Scriptor hujus (sive ille vel *Job ipse*, vel *alius* fuerit) *Cap.* I. tradit, inter vicinos *Jobi* populos, *Sabæos*, (qui erant *ex Chuzo*, *Chami filio*, qui, secundum orbis inter *Noachi filios* divisionem, *australem Asiæ occupaverant partem Gen.* X. 6.7.) & *Chaldæos*

* [*Chaldæos*] In Hebræo contextu ut supra *pag.* 129.

dæos (qui orti erant ex *Cheſed*, *quarto filio Nachoris*, fratris *Abrahami*; atque ideo *Iſmaelitarum* fuerunt æquales; utpote qui eodem fere tempore *ex Semo* per patres ſuos *Nachorem* & *Abrahamum* oriundi fuerunt, *Gen.* XXII. 20-22. & circiter confluentem Euphratis & Tigris ſuam ſibi confirmarunt manſionem) in *Jobi* gregem irruiſſe, ac ei ingens intuliſſe damnum. Putamuſne fieri potuiſſe, ut *Arabes*, de quibus hiſtoria omnis temporis, a quo *inter populos recenſeri cœperunt*, nihil fere aliud narravit, niſi quod *ex rapto*, & *latrocinio* ſuam tolleraverint vitam; ac in vicinos ſuos infeſti fuerint, ſe, ſi tunc jam exſtitiſſent, continere potuiſſent a *Jobi*, tunc tantopere afflicti viri, prædatione?

129. vidimus hi vocantur כִּשְׂרִים. Eſtque hoc in loco nomen *Gentis*, quæ originem ſuam habet ex כֶּשֶׂד *Cheſed*. Qui *Nachoris* fratris Abrahami *filius* quartus fuit *Gen.* XXII. 20-22. atque *ad hunc Euphratis & Tigris confluentem* ſuam propagavit poſteritatem: quæque cum Babyloniis tandem mixta, progreſſu temporis ampliſſimi illius Regni fecit partem.

Vocabulum hoc videtur *in Veteri Aramæa lingua* primitus non nomen *Gentis*; ſed nomen appellativum fuiſſe, quod uſurpabatur de *Aſtrologis*, & *Divinatoribus*: quam notionem adhuc quoque habuit tempore Nebucadnezaris *Dan.* I. 4. II. 2. 4. (Conf. *notas* ad *Ciceronis Libr.* I. *Cap.* I. de Divinat. in Edit. Davisii) Videnturque tempore Patriarcharum ſuum Obſervatorium in Meſopotamia habuiſſe, quod vocarunt *Ur Caſdim*. Unde obſervitaverunt *Cœli ignes*, id eſt, ſtellas. Nec aberrabimus forſitan a vero, ſi conjiciamus, *Nachorum* ex veneratione hujus aſtrologici cultus, *Joſ* XXIV. 2. cujus hi *Chasdim* miniſtri erant, quartum ſuum filium, כֶּשֶׂד *Cheſed*, vocaſſe, qui deinde Pater gentis *Chasdim*, [*Chaldæorum*] exſtitit.

X.

Accedit, quod *Arabes* in ſacra Scriptura nuſquam conſiderentur, tanquam *diſtincta natio*, quæ ex communi aliquo parente, tanquam gentis patre, originem habet. Hinc *nulla* in ſacra Scriptura exſtat *Arabum Genealogia*: quales plurimæ plurimarum gentium ſacræ inſertæ ſunt Scripturæ. Sic offendimus poſt diluvium *Genealogias Japheti*; *Chami*; & *Semi* non tantum; ſed *Cuſchitarum*; *Sabæorum*; *Cananæorum*; *Aramæoruum*; *Nachoritarum*; *Chaldæorum*; *Iſmaelitarum*; *Idumæorum* ex Eſavo &c. ſed *nusquam* exſtat aliqua *Arabum Genealogia*.

XI.

Neque hoc tantum animadvertendum, quod *nulla* omnino exſtet *Arabum genealogia* in ſacra Scriptura: ſed addere debemus, quod in *ne una* quidem ſacræ Scripturæ *Genealogia Arabis* alicujus; vel *Arabum*

bum unquam nominatum fuerit nomen.

XII.

Primam Arabum mentionem invenimus demum in ſacra Scriptura, *tempore Regum Iſraelis.* Ante quod tempus omnem hanc occuparunt regionem, *antequam Arabes in eam irruperunt, Cuſchitæ; Sabæi; Iſmaelitæ;* (qui *Chasdim* [*Chaldæorum*] Conf. *p.* 242. fuerunt æquales) *Edomitæ ex Eſavo,* (qui Horitas ex ſuis ejecerunt ſedibus) *Midianitæ, Amalekitæ, Moabitæ, Ammonitæ,* qui Zamzummæorum occuparunt poſſeſſionem) *Abrahami ex Ketura poſteri* &c. Quemadmodum ante irruptionem *Francorum* ſeculo V^to^, *Galli* in *Gallia;* atque ante *Gothorum, & Langobardorum* invaſionem, *Itali* in *Italia* habitarunt.

XIII.

Nec unus ego ſum, qui *mentionem primam Arabum* ad hoc *Regum Iſraelis* refero *tempus.* Idem fecit ante me Vir excellentiſſimus, (Cui admodum multa debeo) *Chriſtophorus Cellarius*, in *Arabicis* litteris ac reliquis *Orientalibus* non minus, quam in *Latinis & Græcis*, quod ſine aliorum invidia de eo affirmari poteſt, exercitatiſſimus. Ait enim Vir Eruditiſſimus in *Geographia Antiqua Libr.* III. *Cap.* XIV. *pag.* 410. „ Antiquiſſimi *Arabiæ* Petrææ „ *populi*, quorum habetur mentio in ſa„ cris hiſtoriis, ſunt * *Ammonitæ, Moabitæ,*

* [*Ammonitæ, Moabitæ,* &c.] Non poſſum quin hic adſcribam, id quod Eruditiſſimi Angli, qui nunc in contexenda Hiſtoria Univerſali occupantur, de his populis, qui *ab Arabibus oppreſſi*, & *quorum nomina* progreſſu temporis *ab Arabibus abſorpta*, atque *exſtincta* ſunt, exponunt: recito hæc ex Eruditiſſimi Weſterbani Verſione Belgica.

In 't *Iſte Boek van het IIde Deel pag.* 32. ſeggenſe: „ Sy [de *Moabieten*] ſyn allengs *verſmolten* in de na„ buurige Volken, welke de *Woeſtynen van SYRIEN* „ *bewoonden* - - - - en hebben ontrent *de derde Eew* „ *na Chriſtus geboorte* hunnen *ouden naam* verlooren: „ en zedert ſynſe onder *die algemeener benaaming* van „ *Arabieren* begreepen geworden. *Origines in Job. Libr.* I.

Pag. 50. De *Ammoniten* „ Hun naam is in 't ein„ de van *de tweede Eew na Chriſtus verdweenen*; en „ ſy ſyn, gelyk *de Moabiten*, *de Edomiten* en *ande„ re onder de Arabiers vermengt* geworden. *Origines Libr.* I. *in Job.*

Pag. 66. De *Midianiten.* „ In *de eerſte Eew na* „ *Chriſtus hield hun naam* op; en wordt vervolgens „ onder den bekaamder naam van *Arabieren* begree„ pen.

Pag. 101. *Idumëers.* „ Wy hebben te vooren ge„ toont, dat een gedeelte der *Edomiten*, of *Idumëers* „ onder de *Arabiers*, of *Nabathëers* ſyn *vermengt* ge„ worden. Confer. (quantum ad Iſmaelitas inprimis) M. I. G. Heinſium in ſeiner Kirchen Hiſtoria des Alten Teſtaments. Part. I^ma^, pag. 527--529. 530.

„ *bitæ*, *Idumæi*, seu Edomitæ, *Amelekitæ*, *Madianitæ*, sive Midianitæ, * *Ismaelitæ*; sed plerorumque nomina sunt tempore deletu; solo *Idumæorum* diutius conservato: & *Nabatæorum* primum; deinde *Saracenorum*, latissime diffusum, in commune successit fere omnibus. Erant etiam *Ituræi*, & *Trachonitæ Arabici* generis. - - - - Nomen autem *Arabiæ Petrææ*, quod *Petra*, Nabatæorum regia dedit, non est *antiquissimum*; nec ipsum nomen urbis, quod Græcum est, πέτρα, *ante Macedonum tempora* potuit esse impositum. Et *pag.* 422. „ Hæc fere sunt nomina populorum *Arabiæ* Petrææ, quæ in sacris Scripturis leguntur: postea vero in *Arabum* vocabulo coaluerunt: quod vero non *antiquissimum nomen*; nec *ante regum*

* [*Ismaelitæ*] Ex *Ismaele suam* derivat (sed *sine antiquo*; & per consequens, *sine idoneo testimonio*) Muhammed Originem. *Ismaelitæ* vero ex *Ismaele*, filio Abrahami orti sunt eodem fere tempore: quo *Chardim* [*Chaldæi*] ex *Chesed*, Nachoris, Fratris Abrahami, filio orti sunt. Ut adeo *dialectus Ismaelitica*; & *dialectus Chaldæa coævæ* sint dialecti. Unde utraque harum dialectorum *Ismaelitica*, & *Chaldæa ad Heberi tempora* neutiquam referri queunt. Distat enim *Heberi* ætas a filiorum *Nachoris* & *Abrahami* ætate per aliquot centenos annos.

„ *regum Israelis tempora*, quantum ex sacris constat Scripturis, innotuit. *Esaias* „ XXI. 13. & *Ezech.* XXVII. 21. exempla „ præbent. (locus 1 *Reg.* X. 15. dubius inter interpretes est) quod [*Arabum* nomen] vulgatissimum *apud Græcos*, *Latinosque* est. Huic nomini SARACENORUM nomen ævo posteriore successit; & ipsum late longeque diffusum. „ Qui ad Chaldæam vergebant Saraceni, „ NB. *Persis* erant *subjecti*; qui citra fuerunt NB. *Romanis*: saltem fœdere alterutri populo conjuncti. (In transitu moneo, quod *Arabes* in hunc usque diem, nullum a superiore aliquo Principe independenter tenuerint imperium. Sed alterius semper, tanquam tributarii, venerari debuerunt majestatem. Conf. *Hubneri Filii Geographiam Tom.* II. *pag.* 396.) - - - „ Nomen, [SARACENORUM] inquit Cellarius, a סרק, *prædari*, *furari* deducitur, quia *proprium gentis* est, *ex rapto* vivere, ad quod terræ sterilitate invitantur.

„ Circa ἀνχίνα, sic pergit Cellarius, *magnæ Arabicæ peninsulæ*, quam *Felicem* „ dicunt *Arabiam*, Bochartus *in Phaleg.* „ *Libr.* IV. *Cap.* II. *scenitas* locat; eosque putat *veterum Chusæos* esse; ac *recentiorum Saracenos*. *Pag.* 425. „ Era-

„ tosthenes apud Strabonem *Libr.* XVI. „ *pag.* 528. *duas partes Arabiæ* fecit, unam „ πρὸς ἄρκτον καὶ ἠμέραν, *septentrionalem* & *de-* „ *sertam*, quæ media sit inter Cœlesyri- „ am; Judæam; & *felicem Arabiam*: & „ inde ab Ægypto ad Babyloniam exten- „ datur. Altera ei pars est *Arabia Felix*, „ quæ in meridiem vergit. Nec aliter „ multo de *Arabia* Plinius *Libr.* V. *Cap.* „ X. & *Libr.* VI. *Cap.* XXVIII. Ut *il-* „ *lius ætatem distincta* illa; & NB. *tri-* „ *partita* divisio *attingere haud videatur*. „ *Ptolemæus illius auctor* est *præcipuus*, a „ quo accepimus: qui *Libr.* V. separa- „ tim de singulis tractavit partibus. Mi- rum itaque non est, ut hoc in transitu moneam, in sacra Scriptura hujus *Ara- biæ in tot partes divisionis* nullam (Confer quæ *pag.* 136. dixi) exstare mentionem. Utpote, quæ longe recentioris est ætatis.

XIV.

Arabes itaque cum *tempore Regum Israelis* demum innotuerint; nullumque prorsus argumentum vel testimonium ex non vitiata antiquitate erui possit, quo probetur, *Arabes* inter *antiquissimos posse*, nedum *debere recenseri* populos; Cumque hi *Ara-*

Arabes progressu temporis inventi fuerint illa *in australi Asiæ parte*, quam secundum primam orbis terrarum inter Noachi filios divisionem occupaverant *Chuzi* filii, *Cha- mi* nepotes; (Conf. Heinsium in seiner Kirchen-Historia des Alten Testaments. Part. Ima. pag. 529. 530) quibus deinde *nepotes Abrahami*, per *Hagaram*, *Ismaelitæ*; & per *Esaavum*, *Edomitæ*; ut & per *Keturam*, multæ O- rientalium familiæ, ac multi præterea alii, qui omnes *ex Semo* oriundi erant; se ad- junxerint; Et cum *Arabes* inter famosissi- mos latrones omni, a quo cognosci cœpe- runt, tempore, apud sacros & prophanos scriptores recensiti fuerint: facile intelli- gimus, eorum *originem* admodum *vilem* fuisse; utpote qui societatem ad latroci- nandum & furandum iniverunt.

XV.

De his *Arabibus* constat, quod primum *in plaustris* suis; ac deinde *in tugurijs*, *no- madum* instar, *extra urbes*; (ubi deinde etiam quosdam *viliores* cœperunt exstruere *vicos*) inhabitarunt. (Conf. *Heinsium* cita- to loco. *pag.* 530.) Ex quibus veteres ha- rum regionum incolas infestare ac prædari cœperunt. Id quod effecit, ut *fæx omnium illorum populorum*, qui has antea jure hæ-

reditario poſſederant regiones, *prædæ aviditate* ſe iis adjunxerit; eorumque & numerum, & nocendi ferocitatem vehementer auxerit: adeo, ut violentiore tandem in primos harum regionum incolas irruperint impetu: quo multos eorum ex ſuis ejecerunt ſedibus; aut ſuæ ſubjecerunt tyrannidi; aut alio ſecum *miſcuerunt* modo. Atque ita intelligimus ſatis, *veram Arabum originem* derivandam eſſe ab hac *ſceleratiſſimorum*, ac *profligatiſſimorum latronum, & prædonum colluvie*; & eos *ob hanc*, ex *abominanda adeo fæce*, *confuſam* plane, *tam variorum*, & *multorum populorum*, ac *auſtralem Aſiæ partem* inter ſe antiquitus diviſerant, *commiſtionem*, in *lingua Hebræo-Biblica* recte ac ſignificanter dictos eſſe ערבים, *Arabes*; (Conf. prædictum Heinſium citato loco *pag.* 529.) a vocabulo ſubſtantivo radicali, ערב, quod in ſacra Scriptura ſignificat *miſcellam turbam*: non tantum *animalium*; ſed & *hominum* (Conf. *Exod.* VIII. 21. XII. 38. *Jer.* XXV. 24.) Hinc quoque *paſcua*, in quibus *Moabitarum*, *Hierichuntinorum Joſ.* V. 10. & *aliorum populorum* pecus majus & minus, [oves, & boves &c.] *promiſcue paſcitur*, ערבות, dicebantur: ob hanc ſcilicet *paſcentium animalium miſcellam turbam*; atque ob plurium Dominorum *commune*

mune & promiſcuum in illa paſcua, eorumque uſum, jus.

XVI.

Hæc eſt *vera Arabum*, facinoribus ſociatorum; atque ex omni ſcelerum colluvione natorum, qui ſe poſteritati nulla alia re, niſi *furtis* ac *prædationibus* commendarunt, Origo: quare apud Cellarium *in Geograph. Antiq. Lib.* III. *Cap.* XIII. *pag.* 381. omnes dicuntur *mali* & *maleſici*. Id quod Cellarius interpretatur, propterea factum, quod *latrociniis* operam dabant. Atque in Cellarii *de Imperio Palmyreno Diſſertatione* §. XVI. ejusmodi *Latrones* & *Prædones* comparantur cum *Panditis* in Italia; cum *Morlakis* in Dalmatia; & cum *Coſakkis* in Ruſſia, ac Polonia.

XVII.

Non poſſum, quin * ex *Hottingeri Hiſtor.*

* [*Ex Hottingeri Hiſtoria Orientali*]. Nemo dubitat, quin *Hottingerus* ſuo tempore inter *Arabice doctos* principatum duxerit. Non poſſum, quin adſcribam teſtimonium, quod Clariſſ. *Sagittarius* in ſua *ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Introductione Tom.* I. *pag.* 347. 348. ex *Golio* tranſcripſit. „ *Golius*, inquit, „ Cor-
„ nelio

ſtor. Orientali ** *pag.* 7. [10.] addam: „ Longe nominis *analogiæ*, inquit, melius; & *rei ſignificatæ* convenientius erit, exemplo Scaligeri, derivare [nomen *Saraceni*] a radice Arabica, סרק, *furatus* eſt. Unde participium, סארקון, Σαρακηνοι, Arabes νομάδες, ἢ λῃσεικοί, quales qui Turcis dicuntur *Caſaki Tartari*; quales *Martoloſſi*; quales *Bandolieri* in Pyrenæis. Horum ingenium, naturamque eleganter deſcribit Hieronymus *Jer. Cap.* III. enarrans: *Arabum gens latrociniis dedita, uſque hodie* „ *incurſat terminos Paleſtinæ.* Apud Veteres Scriptores cum *Arabes* nusquam *ab honeſtate* commendentur; ſed ubique repræſententur tanquam *ex omni ſcelerum colluvione nati:* quem admodum etiamnum, ad eos a reliquis Orbis terrarum nationibus diſtinguendum, *Barbari* vocantur: fruſtra ab iis aliquid, quod eſt *politum*; atque *elegans* exſpectamus.

„ nelio Hagæ; Legato Fœderati Belgii per triginta „ annos Conſtantinopolitano, faſſus eſt, *Hottingerum* „ *plures manu ſua* exiguo temporis ſpatio *deſcripſiſſe* „ libros, [*Arabicos*] quam alii per totam vitam ſint „ lecturi: nec *in orbe Chriſtiano hac ætate* quempiam ſe ſcire, qui *in his ſtudiis* paria cum eo poſſit „ facere. Hactenus recitavit *Sagittarius Golii de Hottingero* teſtimonium, ſed ipſe, quibusdam interjectis, de *Hottingero* narrat *pag.* 349. „ Tantam in linguis „ illis facultatem adeptus eſt, ut non *Hebraice* modo; ſed & *Chaldaice*; *Syriace*; *Arabice*; *Coptice*; „ *Turcice*, & *Perſice loqueretur.* Tanti procul dubio viri teſtimonium *in Arabicis* multum admodum valere debet.

** *Duæ* dantur *Editiones Hiſtoriæ Orientalis Hottingeri*, ex quibus citavi, quæ ex ea deſcripſi. Numerus paginarum prioris Editionis exprimitur ſine uncinulis [ ]; ſed poſterioris Editionis paginarum numerus continetur intra uncinulas, hoc modo [10]. Id quod Lectorem monendum cenſui.

XVIII.

Non ignoro, *ipſos Arabes* (vel * potius *quosdam ex iis)* ſuam *a Joktane, Heberi filio,*

* [*Vel Potius quosdam ex iis.*] Non memini, me unquam apud *Arabicæ linguæ* principes Propugnatores, *Bochartum*; Waltonum; *Pokokium*; *Hottingerum*, &c. offendere. quod unquam moliti fuerint, *diſerto aliquo, ex ſacra Scriptura* petito, *teſtimonio*, probabile facere, *Joktanem* cum ſua poſteritate *ex natali ſuo ſolo*, quod fuit *Meſopotamia*, per tot regionum intervallum, quadringentorum & amplius milliarium germanicorum, in peninſulam illam, quæ *tempore Macedonum*, (qui *Orientis faciem*, ejuſque *Regionum nomina* valde commutarunt) *Arabia Felix* dici cœpit, profectum fuiſſe, ut ibi ſibi, ac poſteritati ſuæ ſuam firmaret *hæreditariam poſſeſſionem.* Omnes autem hi omne ſuum hic quærunt præſidium *apud ipſos tantum Arabes*, atque, quod bene notandum, *apud eorum admodum* tantum *paucos.* Confer ſæpius jam laudatum *Heinſium eodem in Libro, pag.* 389. Eruditiſſimi

filio derivare originem. Sed hoc cum faciant

Viri, qui jam *Historiam* scribunt *Universalem in Anglia*, dicunt *Libr.* I. *Cap.* II. *pag.* 404. secundum Belgicam ejus Versionem: *De Schriftuur geevt Joktan XIII. Soons*: daar *de Arabiers*, welke hunne afkomst rekenen van *Joktan*, of *Kathan*, gelykse [de *Arabiers*,] *hem* doorgaans noemen, seggen, dat Hy 'er by eene Vrouw XXXI. gehadt heeft: *alle welke op twee na, uyt Arabie* na *Indiën getrokken* syn; en *sig aldaar neergeset hebben. Ydra* de *Oudste van de twee*, welke in dat Land, [*Arabien*,] gebleeven syn, volgde synen Vader in het Koningryk, *Taman*, of *gelukkig Arabien*; en gaf synen naam aan dat land, gelyk ook aan de *Arabische Taal*, welke hy NB. *allereerst sprak.*

Jorham, de jongste, stigte het Koningryke *Hejaz*, waar in begreepen is een gedeelte van het *steenagtig Arabie*; en andere Landschappen.

Multum sane differt *Mosis testimonium* de *Joktane*, ejusque *posteris*, atque eorum *hereditaria possessione*, *Gen.* X. 26-30. a *testimonio Arabis hujus Narratoris* de his omnibus.

Moses vocat eum *Joktan*; *Gen.* XI. 25. 26. *Narrator Arabs* vocat eum *Kathan*. Quam parum valeant argumenta, quæ ab ejusmodi aliquali. *nominum propriorum*, eorumque *litterarum* convenientia petuntur, vidimus *hisce in Dissertationibus pag.* 131. & 154.

Moses facit eum *patrem* XIII. *filiorum. Gen.* X. 26-29. *Narrator* vero *Arabs* facit eum *patrem* XXXI. *filiorum.* Magna sane hæc est differentia!

Moses dicit, quod *hæreditariam suam* ac *posterorum suorum* acceperit possessionem in borealiore Asia *inter Meschum*, & *Sephar*, id est; *loca montana Orientis Gen.* X. 30. De cujus situ egimus supra *pag.* 173.

Narrator autem *Arabs* tradit, quod cum posteritate sua concesserit in *Arabiam Felicem*, *quæ australioris Asiæ*

ciant sine ulla *veteri auctoritate*: eorum hæc *arrogantia* non nisi pro *vanissimo* in propria causa haberi potest *testimonio*: qualia testimonia *in quæstionibus facti* nihil valent, nisi *ex casta* ac *neutiquam vitiata* antiquitate fulcrum ac firmamentum accipiant suum. Quo cum hic omnino destituantur *Arabes*, utpote, α. qui in *Joktanis Genealogia* nomen *Arabs*, nec tanquam *alicujus ex Joktanis filiis*; nec tanquam *patris alicujus ex Joktane ortæ gentis*, nomen offendunt; cumque β. *Joktan* suum genus non *in australiori illa Asiæ regione*; sed

Asiæ pars est. Ubi *duos ex* XXXI. filiis suis istius Peninsulæ fecit possessores; ac reliquos XXIX. *filios* ablegavit *in Indiam*, ut ibi suam sibi fortunarum suarum quærerent sedem.

In tanta narrationis differentia Alter necessario Alteri cedere debet. Cedetne hic *Moses*, *Minister Dei fidelis in tota domo sua*, etiam in testimonium eorum, *quæ in futurum dicenda* fuerunt *Num.* XII. 7. *coll. cum Hebr.* III. 2. 5. quique omnia sua, moderante eum infallibili Dei Spiritu, *ex domesticis Patriarcharum Postdiluvianorum commentariis* derivavit? An vero cedet hic Arabs *Narrator*, cujus *nec ætatem nec tempus novimus*; quemadmodum & plane ignoramus, *quo Auctore*, vel *cujus testimonio* (num illud, *in quæstione* Facti, sit *idoneum*, aut ex aliquo *castæ*, ac *neutiquam vitiatæ Antiquitatis* haustum fonte) hæc narravit? Apud *Mosen* omnia hæc sunt quam distinctissime in clarissima collocata luce: cum apud *Narratorem Arabem* omnia e contrario densissimis sint obsita tenebris. Sed esto *judicium* hic omne *apud Candidum*, & *Veritatis amantem Lectorem.*

ſed *in Armenia*, *Aſiæ regione Borealiore*, propagaverit, confer *pag.* 173--179. & cum *γ*. præterea *ante tempora Regum Iſraelis* in nullo omnino antiquitatis monumento fide digno, vel minima *Arabum* occurrat mentio: animadvertimus ſatis, quod *non ex vero*, ſed *ex vaniſſima* plane *jactatione*, *antiquam* ejusmodi ſibi arrogent *originem Arabes*.

XIX.

Simile prorſus ejusmodi *arrogantiæ* habemus exemplum in *Samaritanis*. Horum *originem* ſcripſit ſatis diſtincte II^di. *Libri Regum Scriptor Cap.* XVII. 24---34. Ex quo conſtat, eos *coloniam* fuiſſe, quam *Aſſyrius ex variis* & *multis orientalibus populis* duxit in terram Iſraelis. Ubi *inter ſe permiſti*, in unum Samaritanum coaluerunt populum: quemadmodum etiam *Arabes* commixtioni nefariorum adeo ac ferocium *ex omnibus illis*, qui *auſtralem Aſiæ partem antiquitus* poſſederunt, *populis*, *latronum* ſuam debent originem.

XX.

Hi tamen *Samaritani* non erubeſcunt, ſuam derivare *originem per Ephraimum ex Patriarcha Joſepho*. Quare ſæpius laudatus Cellarius in ſua *de Gentis Samaritanæ Hiſtoria*, & *Ceremoniis* §. V. de iis dixit: „ Ut adeo mirari ſubeat, cur recentes „ *Samaritani* hoc auguſtum regiæ urbis nomen; & *ſui inde originem*, vel ſtupide ignorent, vel ſaltem ſe nunquam „ audiviſſe ſimulent. Et §. XIV. „ Tantum etiam de Judaico nomine, quod „ dubito, an *Samaritæ noſtri temporis* æquo animo ferant, nec potius „ calumniam interpretentur, quia *ex Ebræorum gente* omnes ſe derivant, & „ *Aſſyriorum coloniam*, quæ in illas oras „ deducta ſit, aut ignorant, aut diſſimulant.

XXI.

Hanc juſtiſſimam clariſſimi Cellarii exprobrationem *Samaritanis* factam, ſi ad vaniſſimam *Arabum* (quos Cl. Spanhemius *in Hiſtor. ſua Eccleſ.* recte pronunciat *ſui plenos*) *de ſua ex Joktane origine* gloriationem accommodaveris: Videbis, *in Arabes* non minus, quam *in Samaritanos* convenire, quod *abominandam* ac *nefariam* ſuam (ut ut veriſſimam) hoc *antiquitatis* falſiſſimo *prætextu* conentur diſſimulare originem.

XXII.

Mirari satis non potui, inter excellentissimos, atque ad miraculum cæteroquin doctos reperiri potuisse viros, qui existimarunt, *proprium Arabum* in hac *antiquissimæ suæ originis jactatione testimonium sufficere*; atque ad ei fidem faciendam necessarium non esse, ut *certum ex casta* & *neutiquam vitiata* antiquitate aliquod afferant *documentum*. Ab ejusmodi vero viris doctis, qui ad vanissimam hanc *quorundam Arabum* jactantiam litterato Orbi, licet irrito plane conatu, persuadere satagunt, *Arabes a Joktane*, *Heberi* filio, suam ducere *originem*; * & *Linguam Arabicam in domo Heberi* natam, ac per filium ejus

* [*Et linguam Arabicam in domo Heberi natam, ac per filium ejus Joktanem ad Arabes propagatam esse.*] Qui hoc ex *Gen.* X. 25--30. probare satagunt, affingunt procul omni dubio *Mosi* sensum, de quo *Moses* nunquam cogitavit. *Moses* docet quidem diserte, *Hebero duos* esse *filios natos*. Quorum alter vocatus fuit *Peleg*, quia ejus tempore Terra inter Noachi posteros cœpit distribui: alterius autem nomen vocatur *Joktan*: quem facit *Moses* patrem XIII. filiorum, eosque in ista terræ distributione suam accepisse mansionem *a Mescha usque ad Sephar*, *montana Orientis* docet. Hæc sunt omnia, quæ *Moses de Joktane*

ejus *Joktanem ad Arabes propagatam* esse, optimo sane jure exigi posse videtur, ut *primum* istius *gloriabundæ jactationis Arabicæ inter Arabes* nominent *Auctorem*; atque ut *Auctoris* istius *ætatem*, & *tempus, quo* vixit, *ex veteri* quam distinctissime indicent *Chronologia*; ostendantque, quos *ex antiquitate*, *neutiquam vitiata*, citet *testes*, quorum testimonio *jactabundam* hanc *Arabicam gloriationem* assertum it.

XXIII.

Nec minori jure ab iis postulari posse videtur, ut doceant, *Unde* jactabundus ille *Arabs* habeat, quod *Joktan* ex *Mesopotamia* (ubi *ex Hebero* ortus est) cum numerosa sua posteritate in *Peninsulam* illam (quæ longe *post Macedonum tempora*, *demum* cœpit *Arabia Felix* nominari) profectus sit, ut in illa rerum & fortunarum suarum sibi, ac suis firmaret sedem. Cum *Peninsula illa* a patria sua sede, ubi eum *He-*

tane tradidit, nec exstat apud alium aliquem Scriptorum sacrorum. Conf. I *Chron.* I. 19. ulla usquam *Joktanis* mentio. Verum de linguis *Hebræa*, & *Arabica*; ne dum *de earum propagatione Hebrææ per Pelegum ad Hebræos*; & *Arabicæ per Joktanem ad Arabes* nulla prorsus hic, vel alibi *apud Mosen* exstat mentio. Audax safe facinus, ac temeriarum valde! *Prov.* XXX. 6.

Heber, *pater ejus*, *genuit*, per ſpatium *quadringentorum* & amplius *milliarium* germanicorum diſtet. Atque ut porro doceant, num *omnes illi*, qui *mediterraneas illas*, inter *Meſopotamiam* & hanc *Peninſulam* (recentioribus longe temporibus demum *Arabiam Felicem* dictam) occuparunt regiones, antequam Joctanidae hanc in *Peninſulam* ſuſcipere potuerunt profectionem, *otioſi* tantum hujus profectionis fuerint ſpectatores: qui tantæ *Joktanidarum* turbæ *impedimentum objecerint nullum*; ſed liberum iis in illam conceſſerint *tranſitum*. Atque num *Chuzi*, *Chami filii*, *numeroſiſſima poſteritas*, quæ hanc *Auſtralem Aſiæ partem* per tres ad minimum ætates, ante hanc fictam *Joktanidarum* in has oras profectionem jam occupaverat, atque poſſederat, ad hunc *Joktanidarum* adventum, & *poſtulatum*, [*Veteres migrate Coloni*] *opulentiſſimam* hanc iis Aſiæ ſponte reliquerint regionem; atque ſine ullo *cum Joktanidis bello*, vel *prælio*, ceſſerint.

XXIV.

Quod ſi vero exiſtiment, *bellum* & *prælia* interceſſiſſe, quibus *Joktanidæ* primos hujus *Peninſulæ* poſſeſſores (qui *Cuſchi* fuerunt *filii*, & *nepotes*,) ex ſedibus ſuis ejecerunt;

cerunt; easque ſibi injuſti plane belli, & victoriæ jure vindicarunt: oſtendere procul omni dubio debent, qui inter antiquiſſimos Hiſtoricos, hoc *bellum*, atque hæc *Joktanidarum* cum *Chuſchitis* ſcripſerunt *prælia*.

XXV.

Horum omnium *hiſtorica* cum optimo jure requiratur *demonſtratio*; eaque ex *caſta* ac *neutiquam vitiata antiquitate* derivata, ab iis, qui *Arabum originem* a *Joktane* repetendam pronunciant: mirari ſatis non poſſumus, qui acciderit, ut Viri Excellentiſſimi, *Waltonus*, & *Bochartus* exiſtimaverint, *ſolum Arabum in propria* hac ſua *cauſa* ſufficere *teſtimonium*. Idque de *Bocharto* tanto magis noſtram meretur admirationem, quia ipſe quam ſæpiſſime rebus, ex ſolo earum *apud antiquos Hiſtoricos ſilentio*, negat *antiquitatem*. *Perſarum nomen*, Exempli gratia, negat *antiquum* eſſe, quia *ante Cyri tempora* auditum non fuit. Conf. quæ *pag.* 222. diximus. Quænam jam quæſo excogitari poteſt ratio, cur idem Bochartus *Arabibus*, quorum ante Regum Iſraeliticorum *nulla* prorſus exſtat *mentio*, *antiquam* adeo *a Joktane*, qui *a diluvio* vix *per centum* abfuit annos,

non neget *originem*; ſed eam a Joktane, ad ſolam *Arabum*, nullo plane *antiquitatis* ſubnixam teſtimonio, jactationem, & inſolentiam, derivandam aſſerat. Accidit ſcilicet Waltono & Bocharto hic, quod magnis ſæpe accidere ſolet viris, qui in conficiendis magnis Operibus occupati, tædium capiunt, atque ideo potius ſaltum facere, quam, ob incidentem caſum aut difficultatem, promotionem operis ſui retardare volunt. Hinc incipiunt judicium præcipitare, ac feſtinare ad operi ſuo finem imponendum; debitamque negligunt ad incidentes ejusmodi caſus adhibere circumſpectionem.

XXVI.

Ex hac *veriſſima Arabum origine*, ſatis liquere exiſtimo, quid *de linguæ Arabicæ* (utpote, quæ *ante Arabes* ipſos, quorum fuit lingua, locum habere non potuit) *origine* ex vero definiri ac ſtatui queat. Illam ſcilicet inter *antiquiſſimas* ac *primigenias* linguas recenſeri neutiquam poſſe; nec quoque conſiderari poſſe tanquam *dialectum*, quæ ex principe aliqua dialecto, quales fuerunt *Japhetæa; Chamæa; Semæa, & Aramæa* (per quam *Semæa* tantum non omnes ſuas produxit *dialectos*) nata eſt; ſed

ſed *originem* ſuam debere *commixtioni* omnium illarum *dialectorum*, quæ uſum ſuum habuerunt apud ſingulos populos, qui antiquiſſimis temporibus *ante Arabum irruptionem* has *auſtraliores Aſiæ partes* occuparunt. Ut adeo *Arabum lingua* non minus *ex confuſa valde variarum*, & *multarum dialectorum commixtione ortum ſuum* habeat, quam *Arabes* ipſi ex omnium *horum populorum fæce*, ſuam nacti ſunt *originem.*

XXVII.

Arabicam autem linguam non *ex una aliqua lingua*, vel ejus *principe aliqua dialecto*; ſed *ex commixtione variarum* valde & *multarum dialectorum* ortam eſſe, vel inde liquet, quod *ſynonymorum vocabulorum* tanto abundet *numero*, ac nunquam in aliqua alia *lingua*, vel *ejus dialecto* repertus eſt.

XXVIII.

Gloriantur *Arabes*, ſe *quingenta* habere *nomina*, quæ ſignificant *leonem*; & *ducenta*, quæ ſignificant *ſerpentem*; & *mille*, quæ ſignificant *enſem.* Clariſſ. Pfeifferus hæc deſcripſit *in Critica ſua ſacra pag. m.* 94. ex

Pokokio *ad Abulf. pag.* 153. „ Quantum „ [Arabica] Græcam, inquit, Latinam, „ aliasque linguarum præcipuas verborum „ copia ſuperet, hinc conjicere liquet, quod „ aliquando vel *ſola diverſarum unius rei* „ *appellationum enumeratio* & *explicatio* ju„ ſtam voluminis integri materiam præbu„ erit. Sic doctiſſimo Grammatico, Ebn. „ Chalawaih libri unius ſubjectum *Leonis* „ nomina: quæ *quingenta.* Alterius *ſer„ pentis*, quæ *ducenta*, teſte Jallaloddino „ *in Mezhar.* Auctor, *Kamuſi*, *Moham„ met Al Firauzabadius* librum integrum „ de *mellis* appellationibus, & utilitate ſe „ conſcripſiſſe ait: in quo cum LXXX. *e„ jus nomina* recenſuerit, totam tamen e„ jus nomenclaturam non abſolviſſe nota„ tur. Teſtatur idem *enſis* appellationes „ ultra *mille*, ſe in libro a ſe compoſito, „ enumeraſſe.

XXIX.

Tot ſynonyma, *ejusdem* plane *rei vocabula*, in lingua *Arbica* locum invenire non poſſent, ſi ea eſſet vel *primigenia lingua*; vel *unius primigeniæ linguæ dialectus*: ſed cum *Arabica lingua* ſit *confuſa* admodum *variarum* ac *multarum dialectorum commiſtio*, potuit in ea *ſynonymorum vo-*

vocabulorum numerus valde augeri. Si enim *Arabica lingua* ex *omnibus illis dialectis*, ex quibus conflata eſt, *omnia* ejusmodi rei vocabula *ſynonyma* collegerit, & coacervaverit, fieri aliter non potuit, quin eorum in *Arabica lingua* valde creſceret numerus. Huic autem de *linguæ Arabicæ* Origine ex omnium illarum dialectorum commixtione, argumentationi vel demonſtrationi fruſtra plane opponeretur, quod *in lingua Arabica* admodum multa occurrant vocabula & verba, quæ cum vocabulis & verbis aliarum linguarum Orientalium magnam valde habere videntur *convenientiam.* Cum enim *omnes Orientales dialecti*, atque inter eas quoque, quæ ab antiquiſſimis temporibus *apud auſtraliores Aſiæ populos* in uſu fuerunt, *ex lingua Veteri Aramæa* natæ ſint; & cum *lingua Arabica* nil niſi *mixtura omnium illarum Aſiæ auſtralioris dialectorum* ſit: mirari non poſſumus, quod *genius Veteris Aramææ linguæ per omnes illas dialectos ad Arabicam* quodammodo tranſierit linguam; atque in ea ſe ſubinde quoque manifeſtam faciat. Tantum *de linguæ Arabicæ Origine.*

XXX.

Ad *linguæ Arabicæ propagationem* quod attinet, ea partim *ab armis Arabum;* partim *a cultura ingenii*, quæ ſero admodum apud eos locum quæſivit, ac invenit, derivanda eſt.

XXXI.

Arma, ubi penetrant, cogunt *devictos populos linguam Victoris* recipere. *Græci* Aſiam ſibi ſubjicientes, per omnes Aſiæ regiones *græcam* propagarunt linguam: ac *Romani* ſuam cum omnium provinciarum, quas *armis ſuis* fecerunt, incolis communicarunt linguam. Egregie hoc, ut omnia, demonſtravit ſæpius jam laudatus Cellarius (quam vellem Celeberr. Cellarii *Diſſertationes* ab omnium artium, & diſciplinarum ſtudioſis legi: eæ enim illorum animum adverſus *varias monſtroſas*, *abſurdas*, & *periculoſas*, de antiquiſſimis rebus opiniones præmunirent) in ſuis, *de Origine Linguæ Italicæ* ex *Barbarorum incurſionibus natæ; de Studiis Romanorum litterariis in Urbe, & Provinciis; ac de Fatis Linguæ Latinæ, Diſſertationibus.*

XXXII.

In *Diſſertatione de Origine Linguæ Italicæ* ex *Barbarorum incurſionibus natæ*, ait vir Excellentiſſimus §. 1. „ *Latinæ linguæ* „ ea gloria & majeſtas fuit, *Romano Imperio* per orbem ſe proferente, ut, neque „ *Græco ſermoni*, qui primas diu tenuerat, deinceps quidquam concederet. - - - „ Sub Cæſaribus *in provincias illata*, longe lateque ſuum uſum diſſeminavit. Tum „ in *Hiſpania*, *Gallia*, *Africa*, *Britannia* „ non minus *Latinitas*, quam in ipſo *Latio*, & *Italia* florebat, ſcholis etiam ubique inſtitutis, in quibus Rhetores latini eloquentiam romanam provinciales „ edocerent §. XIII. „ Sed quoquo modo ſe res *antiquiſſimæ linguæ* habet, „ quam, *ut in aliis gentibus*, *non integram* ſemper manſiſſe, ſed *temporum progreſſu mutatam* varie aut *interpolatam* „ fuiſſe credibile eſt. §. XV. „ Id enim ultro „ largimur, ut ſolet *in cunctis linguis*, ita „ in hac *Gothica* quoque pro locorum & „ temporum diverſitate, *diverſas dialectos* „ exortas eſſe. §. XX. „ His itaque gentibus [*Gothis* & *Langobardis*] „ in *Italiam* „ infuſis, & longo tempore imperantibus, „ non potuit fieri, quin ſermo illorum,

„ qui *Teutonicus* erat, de ſuo genio *Latini-*
„ *tati* affricaret. Quæ quod cultores cuſto-
„ desque fere nullos habebat, inertia illo-
„ rum temporum manifeſtante, eo magis
„ illa *vetus lingua corrupta* & *dilacerata*
„ fuit, dum tirones illius diſcendæ, hoc
„ eſt *Gothi* & *Langobardi* ad ſuæ illam
„ modulum & menſuram detorquerent.
„ - - - - Migratio [*Gothorum* & *Lango-*
bardorum] „ notiſſima, quæ non poterat
„ *ſine commercio* eſſe, præſertim, quod ad-
„ vena populus, oppreſſo indigena, ſum-
„ ma rerum potiebatur, ad cujus nutum
„ ac genium componere ſe debebant, qui
„ in poteſtatem redacti fuerant.

XXXIII.

Et in ſua de *ſtudiis Romanorum litterariis in Urbe & Provinciis Diſſertatione* §. XXXVII. ait: „ *Sicilia*, antiquitus Græ-
„ cas urbes habebat; & *Græca* utebatur
„ *dialecto*. Romanis ſubjecta didicit etiam
„ *Latine*; & *Romanam* exercuit *eloquen-*
„ *tiam*. - - - - In *Aſiam* quoque, quam-
„ libet Græcis ſtudiis affluentem, *Latini*
„ Rhetores acciti, ut Diocletiani juſſu
„ Lactantius Nicomediam, qui in prin-
„ cipis ſede oratorias litteras, quod ipſe
„ dicit *Libr.* V. *Cap.* II. doceret. Nec
Afri-

„ *Africa Romanis* ſubdita, expers litterа-
„ rum erat. *Punicæ* ſuæ *linguæ Latinam*
„ addidit, quam uſque ad eloquentiæ ni-
„ torem excolebat. Nec tantum Cartha-
„ gine, Proconſulis ſede, illæ litteræ do-
„ cebantur, ſed Madauris etiam, & in utro-
„ que Hippone, aliisque in Coloniis. Te-
„ ſtis Auguſtinus, ex Thebaſte in vici-
„ nam urbem Madaura miſſus, litteraturæ
„ atque Oratoriæ percipiendæ cauſa, quia
„ Carthaginienſis peregrinatio longinquior
„ erat a Patria. Vide *Lib.* II. *Confeſſ. Cap.*
„ III. His poſſem adhuc multa ex Cele-
berr. Viri *Diſſertatione de Fatis Linguæ Latinæ* addere: ſed hæc puto ſufficere.

XXXIV.

Ex his itaque cum ſatis conſtet, *Græcas* & *Latinas Linguas* genium ſuum, ac vigorem in omnibus illis exſeruiſſe regionibus, quas *Græci* ac deinde *Romani* armis ſuis ſibi ſubjecerunt; & *Gothos* ac *Langobardos*, *in Italiam* irrumpentes, *barbaram ſuam linguam cum Latina miſcentes*, *ex duabus illis linguis* plane *novam*, *Italicam* nempe, fecerint: dubitare non poſſumus, quin *Arabes* ſuam quoque, *barbaram plane*, in omnes illas regiones, in quas irruptiones, ut & ibi manſiones invenirent,

fece-

fecerunt, invexerint *linguam*; atque cum *antiquorum incolarum* miscuerint *lingua*: unde *Arabica lingua* omnibus illis in locis non nisi *novam barbariei* suæ induere potuit *faciem*; atque omnem suum, si quem unquam habuerit, perdere plane debuit nitorem.

XXXV.

Restat ut de ingenii cultura, quæ *circiter Muhammedis tempora* apud *Arabes* locum quærere incepit, adjiciam. Id quod sæpius laudatus Cellarius de *Lingua Italica ex Latina*, & *Gothorum*, ac *Langobardorum* barbara lingua nata, in fine suæ, *de Italicæ Linguæ origine*, *Dissertationis* dixit, ad *Arabes* procul omni dubio quodam applicari potest modo. Exstitisse scilicet viros, ait Cellarius, qui *italicam illam linguam* a sua *barbarie* conati fuerunt expurgare. Verba ejus sic se habent: „ Quæ autem *ex vitio peregrini populi efficta lingua* „ fuerat, postmodum ingenia excoluerunt, „ Petarchi, Aligherii, & similium, post„ quam *inertiæ torpor Italiam* cœpisset de„ serere: ut *nova Italica lingua* suum etiam „ nunc nitorem ac majestatem possideat. Sic non dubito, quin etiam hoc tempore, quo cultura ingenii apud *Arabes* sedem quæsivit, ac quodammodo invenit, exsti-

terint

terint Viri, qui conati fuerunt Linguam *Arabicam* ab *agresti sua rusticitate*; ac *barbarie*, quantum id fieri potuit, expurgare. Quantopere enim recentiores *Arabes Alkorani* laudent *stylum*, in vulgus notum est. Cl. Hottingerus dixit, Scaligerum non male conjecisse, quantum *Judæi nitori & elegantiæ* NB. *styli Scripturæ sacræ* tribuunt, tantum venenato & exitiali suo deferre *Muhammedanos* NB. *Alkorano*.

XXXVI.

Inciderunt scilicet *Arabes* progressu temporis quibusdam in locis in *libros Græcos: Archimedis; Hippocratis; Aristotelis; Galeni* &c. Fueruntque inter eos, qui illos libros *in linguam* converterunt *Arabicam*. Invenerunt quoque inter illos *Græcos libros*, librorum *Veteris Testamenti metaphrasin Græcam*, quæ τῶν LXX. vulgo dici solet, quam itidem in *Arabicam* converterunt *linguam*. Sic quoque *Patrum Scripta*, *Chrysostomi; Basilii;* & aliorum, *Arabice* verterunt. Adornaruntque præterea *aliam Arabicam Bibliorum versionem* ex *Metaphrasi Syriaca*; vel forsitan ex *Veteri* Bibliorum *Aramæa* Versione. Accessit tandem seculo decimo *versio Arabica ex ipso Hebræo contextu*. Sed hanc non adornavit *Ara-*

bum

bum aliquis, verum R. Saadias Gaon: idque non *in uſum Arabum*; ſed in gratiam *Judæorum*, qui *inter Arabes* diſperſi inhabitabant. *Judæos inter Arabes* inhabitaſſe liquet ex *Act.* II. 11. Præterire autem hic non debemus, *Arabes ſuis in verſionibus Græcorum Scriptorum* candide ſatis neutiquam verſatos fuiſſe, ſed iis multa admodum ex ſuo inſeruiſſe ingenio. De *Ariſtotele* ſaltem conſtat, quod ejus *Philoſophiam* plane corruperint; atque quod ex hac *Ariſtotelis per Arabes corrupta Philoſophia* decantatiſſima illa & *Philoſophia* & *Theologica ſcholaſtica* in Hiſpaniis nata, atque inde propagata ſit: A doctrina ejusmodi Interpretum, qui *ſua Veteres Auctores corrumpunt metaphraſi*, procul dubio parum boni & certi ad rerum antiquarum illuſtrationem exſpectandum eſt.

XXXVII.

Accedit, quod *Arabes* ipſi *linguam Hebræo-Biblicam* non intelligant: niſi eam æque ac nos *Europæi* ex inſtituto diſcant. Hinc de *Arabibus* dixit in ſuo, *de Religione Mohammedica*, *commentario*, *pag. m.* 44. Cl. Relandus, Vir, qui noſtra ætate tantum non omnes *Arabice doctos* longo poſt ſe reliquit intervallo, poſtquam oſtenderat, *Arabes* vocabulum *Hebræum*, *Meſſias*,

ſias, accipere: non acſi ſignificaret *Unctum*; ſed acſi *vi originationis ſuæ* ſignificaret *peregrinatorem religionis cauſa*; vel eum, qui *manu fricat*, & *contrectat*: addereque, hoc nomen de Jeſu uſurpari, quod *homines in porcos converterit*, manu ſua ducta ſuper vultus eorum: ſubjungitque Cl. Relandus: „ Sic videtis, *quo-*
„ *modo cœcutiant* [*Arabes*] *in etymo vo-*
„ *cum Hebræarum.* Atque hinc eſt, quod
„ *Arabes* Davidis Pſalmos quidem habe-
„ ant, ac privatim legant *non Hebraice*;
„ ſed *Arabice* & *Perſice*, ſed ex noſtris
„ codicibus verſos, quibus orationes *Mo-*
ſis, *Jonæ*; & aliorum adjectæ ſunt: & Evangelium aliquod apud ipſos eſt, quod ex ſcriptis bonis & malis conflatum *Arabice*, & *Hiſpanice* manuſcriptum exſtat: „ ſed non putem, inquit Cl. Relandus, „ *Mohammedanos*, certe non o-
„ mnes, audere affirmare, illos codices
„ eſſe genuinos illos Veteres. Inter loca,
„ quæ corrupta eſſe clamant, ſunt *Pſalm.*
„ II. 7. *Ego genui te:* ubi legendum dicunt:
„ *Ego educavi te*, quæ voces apud *Ara-*
„ *bes*, non niſi *per Tesdid* (ſive *Da-*
„ *geſch Hebr.*) diſtinctæ ſunt; & pro *fili-*
„ *us meus*, *Propheta meus*; & *Joh.* XVI.
„ 7. ΠΑΡΑΚΛΗΤΟΣ, *advocatus* male legi pro
„ ΠΕΡΙΚΛΥΤΟΣ, *Mohammed inclytus.* Vi-

„ de Relandum citato in libro *pag. m.* 23. „ & 24.

XXXVIII.

Præstabit, si *Arabicæ linguæ propagationem per arma* ; & qualemcumque ejus *expurgationem per ingenii culturam*, non meis, sed Clarissimi Hottingeri, qui suo haud dubie tempore *Arabicis* in litteris (Conf. Celeberr. Golii de eo testimonium supra *pag.* 252. *in Not.*) & ingenii & eruditionis principatum tenuit, explicem verbis. Ait ille *in Historia Orientali*, *pag.* 173. [262.] „ Sexto [Septimo] seculo (a quo in temporis hujus notatione non dissentit *Bochartus in suo Phaleg pag. m.* 119. & 58. Verba *Bocharti* sunt : Eam [Arabicam linguam] „ cœpisse diffundi ab *annis mille* „ *circiter* [recensetBochartus hos annos retro a sua ætate] „ & orbis veteribus cogniti occupasse fere trientem.) „ cum *Muhammed* orbem fere universum veneno suo hæreseos dementasset, multos reperit *Sabæos*, quorum expresse meminit. „ *Sur.* II. cum quibus etiam assectis suis „ fœdera ferire concessit. *Pag.* 203. [308.] „ Semper sunt aliqui, qui non tantum ea, „ quæ retrimentum illud *impudentiæ*, & *in-* „ *scitiæ*, *Muhammed*, in vulgus sparsit ; „ sed

„ sed & *Veterum Arabum sacra perspecta* „ habere cupiunt. *Pag.* 212. [321.] „ Qui „ *superiori seculo* linguarum studia a contemtu vindicaturi, non Hebræas solum, „ Chaldaicas, & Syriacas ; sed *Arabicas* „ quoque *litteras* pristino restituere nitori „ in animum induxerunt suum, difficulter „ illud, NB. *absque Alkorani* præstare poterant *subsidio*. Quantum enim, ut non „ male conjecit Scaliger, *Judæi nitori &* „ *elegantiæ styli Scripturæ sacræ* tribuunt, „ tantum *venenato*, & *exitiali suo deferunt* „ *Alkorano Muhammedani*. *Pag.* 213. [322.] A qua sententia *Bochartus* quoque neutiquam alienus fuit. Dicit enim in sua ad *Jac. Cappellum* Epistola : „ Nam *omnes* in universum *excellentiores Arabum libri* perpetuo „ ad *Alkoranum* alludunt, qui in stylo tanto est *tersior*, quanto in doctrina impurior, ac absurdior. Pergit *Hottingerus* : „ Cum videret [*Muhammed*] *Judæos* per „ orbem terrarum dispersos, viribusque attritos ; *Christianos* seu Nazaræos, tum „ in vita dissolutos, tum schismatibus inter se misere laceratos, *Arabes* NB. *den-* „ *sissima tenebrarum & errorum caligine ob-* „ *rutos*, (Hinc *Arabum ante Muhammedem*, tempora dicta fuerunt *tempora ignorantiæ*. Confer *Abul Pharag. Pokokii pag. m.* 99-101.) „ omnem reliquam plebem hianti „ quasi ore nova exspectare, tum inquam, „ *Ve-*

„ *Veterator* novam, ex omnium religio-
„ num ſacris conflatam, propoſuit *religio-*
„ *nem*, quæ tanto majorem ſtatim habuit
„ applauſum, quanto illa carni & ſenſui
„ ejus, magis fuit accommodata. *Pag.*
238. [396.] „ Cum ergo *Muhammed* vidis-
„ ſet *craſſam Arabum Idololatriam*, *A-*
„ *GRESTEMQUE politiam*; Judæorum
„ diſperſionem, contemtum, & vires pla-
„ ne attritas; Chriſtianos partim diſſidiis
„ inteſtinis diſtractos, partim etiam in i-
„ pſa vita, illos præſertim, qui innocentiæ
„ facem aliis præferre debuiſſent, diſſo-
„ lutos fuiſſe, avaritia cum primis, quæ
„ jam inde a longo tempore egerat altas
„ radices (vide Baron. *A. Chr.* CCLXIII.
„ *S.* 26. & ſeqq.) „ non procerum tantum
„ animos occupavit, ſed & plebejorum.
Pag. 347. [560.] „ Subſiſtendum nobis pau-
„ lulum eſt in *Loquentibus*, quorum toties
„ mentio apud *Arabes*, & in *More Nev.*
„ fit mentio. Sunt autem illi *Philoſophi*
„ *Arabum* celeberrimi; *Metaphyſici* ſubti-
„ liſſimi; qui, ut *a primis Chriſtianis*,
„ *Maimonide* teſte, diſputationis ferram
„ reciprocare didicerunt; ita *poſtea*, cum
„ ſacra prophanis; Theologica Philoſophi-
„ cis *miſcuiſſent*, hanc ipſam lampadem,
„ ſtudiis *Arabum* NB. paulatim *abolitis*,
„ Chriſtianis, Hiſpanis cum primis, NB.
„ Theologiæ ſcholaſticæ ſtudioſis, tradide-
„ runt.

„ runt. Studiis hiſce plurimi aliquando *in A-*
„ *rabia* inclaruerunt Philoſophi: *Ibn. Chali-*
can nomine hoc commendat *Ibn. Phurek*,
quem appellat אלמתבלם. *loquentem.* Item
Sharaſtanæum, qui itidem non tantum
אלמתבלם אלפילסוף, *Loquens Philoſophus*
dicitur, ſed & Auctor Librorum &c. Idem
Hottingerus ait *in Diſſertationibus ſuis*, *pag.*
201. „ Ipſi etiam Patres aliarum antiquis-
„ ſimarum translationum *Arabicarum* non
„ meminerunt. Poſt *Muhammedem* tamen,
„ qui cum imperio *Arabico Arabicam*
„ etiam *late terrarum* propagavit *linguam*,
„ translationes innotuiſſe ſacras, non eſt
„ dubitandum, quanquam de momento ni-
„ hil liquido conſtet. *Circa Saadiæ tem-*
„ *pora*, vel *non multo ante* confectam
„ fuiſſe *primam*, probabiliter vir doctus
„ aſſerit. Exemplaria ante tria ſecula ſcri-
„ pta circumferri ex Præfatione Gabrielis
„ Sionitæ in Pſalt. Syriacum patet: ex
„ quo etiam Pariſienſis deſumta eſt editio
„ *Arabica.* Clenardus codicem habuit E-
„ vangelicum ante 700. annos deſcriptum,
„ & verſum. Conf. Cl. Hottingeri Bi-
blioth. Oriental. *p.* 60.

XXXIX.

Poſſem plura ex *Arabice doctiſſimo Hot-*
tingero afferre & cumulare, ſed hæc opi-
nor ſufficiunt, ad nos certiores redden-

dum, virum Clariſſimum in ea fuiſſe ſententia, (in qua *Bochart*o cum eo plane convenit) quod Lingua *Arabica tam late propagata*, atque *tam eleganter* nunquam *exculta* fuerit *ante Muhammedem*, quam *poſt Muhammedem*: ut hic idem de priſtina lingua *Arabica* affirmare debeamus, quod (Conſer. *Diſſert.* hujus *pag.* 270. 274. 275.) *de Italica* demonſtravit *lingua*, Clarill. Cellarius: *Veterem* ſcilicet *Arabum linguam ante Muhammedis* tempora *barbaram* plane, atque *agreſtem* fuiſſe: eamque, ſi quid nitoris acceperit, omnem illam *expurgationem*, ut & ejus tam latam *propagationem*, *poſt Muhammedis* demum tempora conſecutam eſſe. Confer. *Hottingeri Diſſertat.* pag. 191. 192. 195. & 201.

XL.

Ex his autem, quæ hactenus de Lingua *Arabica* diſſerui, nolo aliquem concludere, quod exiſtimem, *linguam Arabicam* contemnendam, aut plane negligendam eſſe; acſi nullius prorſus usus atque utilitatis eſſet, ac non mereretur, ut in eam addiſcendam ſtudium & tempus noſtrum impendamus. Habet enim procul omni dubio neceſſarium ſuum non tantum *inter Arabes* ipſos, in regionibus illis omnibus, quas ſuis ſibi ſubjocerunt armis, uſum: ſed etiam

etiam apud eos Judæos, & Chriſtianos, qui inter eos inhabitant; vel negotiorum cauſa ad eos proficiſcuntur. *Arabum* præterea vocabula, & nomina, quibus ſuos *lapides pretioſiſſimos*, *herbas* ſuas, ac *aromata* ſua; ut & varii generis animalia, piſces, & aves, eorumque omnium indolem, ac differentiam multo clarius, diſtinctius, ac ſignificantius procul dubio exprimunt, quam id per aliam aliquam fieri poteſt linguam. Id quod *Salmaſius*, *Bochartus*, atque alii luculentiſſimis demonſtrarunt documentis. Quare *Arabicæ linguæ* cognitio in *Botanicis*, & *Chemicis* egregium ſane præſtat uſum. Hinc, inde quoque eam laudavit *Bochartus*, dicens: *Medicis* item; *Geographis*, *Mathematicis*, &c. admodum multum confert *lingua* ſcilicet *Arabica*, de qua ibi loquitur. Nec caret ſuo apud *Theologos* quoque *Scripturarios* uſu. Habemus enim Multa præſtantiſſimorum *ſeculi* XII^mi. *Rabbinorum*, *Maimonidis*, aliorumque *ſcripta Arabica de judæorum ritibus Talmudicis*: ex quibus *Antiquitatum judaicarum ſcrutatores* egregia admodum multa eruere atque in uſus ſuos convertere poſſunt: quemadmodum id *Pokokkius in ſua Porta Moſis* quam luculentiſſime demonſtravit. Habemus præterea ſacrorum Bibliorum *Metaphraſes*, *ex Græca* τῶν, LXX. & *Syriaca* vel *veteri* forſitan potius, *Aramæa* verſione confectas; habemus

mus quoque *Metaphraſin*, vel potius *Paraphraſin Arabicam*, quam ſeculo X. in gratiam Judæorum, *inter Arabes* inhabitantium, *ex ipſo Hebræo-Biblico* adornavit R. Saadias Gaon contextu. Quam *Arabicam Saadiæ Metaphraſin* Erpenius valde laudavit; & cujus Editionem nobis, niſi mors ejus interveniſſet, curaſſet. Exſtat præterea *Pentateuchus Arabicus* ab Erpenio editus, de quo dicit *in Præfatione*, vel potius *Dedicatione*, quam ei præmiſit Erpenius, illum cum *Hebræo-Biblico* adeo convenire contextu, ut neceſſarium non duxerit, ei *latinam* addere verſionem: utpote quæ ex interlineari *Ariæ Montani* contextus Hebræo-Biblici verſione æque facile, quam ipſe ille contextus Hebræo-Biblicus intelligi queat.

Hic tamen egregius ſane & multiplex *Linguæ Arabicæ* uſus (qui ejus uſum, ac ſtudium ad eam addiſcendam, ſatis commendat) efficere neutiquam poteſt, ut *Arabes inter antiquiſſimos poſtdiluvianos populos*; atque *linguam Arabicam*, *contra omnem omnino hiſtoricam fidem & veritatem*, *inter antiquiſſimas* recenſeamus *linguas*.

XLI.

Hæc hiſtorica autem mea *de lingua primæva*;

primæva: ejusque propagatione; atque variis & multiplicibus inde natis Dialectis, *Diſſertatio* cum ſit *inter illas meas Diſſertationes*, quas, ut mihi in Prælectionibus publicis eſſent uſui, ab illo conſcribere cœpi tempore, quo Illuſtriſſimi Univerſitatis noſtræ Curatores, Eorumque Collegæ, Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Urbis Leidenſis Conſules Provinciam *Antiquitates Hebraicas docendi* mihi demandarunt, e re veſtra exiſtimavi, ſi hiſce *Diſſertationibus*, quæ *primo* hoc continentur *Faſciculo*, *Inauguralem*, qua hoc ſuſcepi munus, adjungerem *Diſſertationem*. Quam primum in hoc *Faſciculo* dediſſem locum, ſi prius, de ejus iteranda Editione cogitaſſem.

FINIS.

T. H. VANDEN HONERT,
S. S. Theol. Doct. & Profess. Ordinarii.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

NECESSARIA, AD RECTE INTERPRETANDAM SCRIPTURAM SACRAM, ANTIQUITATUM HEBRAICARUM COGNITIONE,

DICTA

A. D. V. *Decembris* MDCCXXI.

Cum jussu atque auctoritate Illustriss. ac Nobiliss. Universitatis Curatorum, & Amplisſ. Civitatis Leidensis Consulum,

Hebraicarum Antiquitatum Professionem solenniter susciperet.

GENEROSISSIMIS ATQUE ILLUSTRISSIMIS VIRIS

UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVÆ CURATORIBUS;

D. WILHELMO BARONI WASSENARIÆ,

DYNASTÆ IN STERRENBERG ETC. ORDINIS EQUESTRIS NOBILIUM HOLLANDIÆ, UT ET DELEGATORUM PRÆPOTENTIUM ORDINUM HOLLANDIÆ PRÆSIDI, ETC. ETC.

D. HUBERTO ROSENBOOM, JCTO,

TOPARCHÆ IN 'sGREVELSREGT, SUPREMÆ BATAVORUM CURIÆ PRÆSIDI, ETC. ETC.

D. HERMANNO VANDEN HONERT, JCTO,

REIPUBLICÆ DORDRACENÆ CONSULARI, AGGERUM ALBLASSERWAERDENSIUM COMITI, ETC. ETC.

EO-

EORUMQUE COLLEGIS,
AMPLISSIMIS GRAVISSIMISQUE
REIPUBLICÆ
LUGDUNENSIS
CONSULIBUS,

D. CAROLO CRUCIO, JCto,
CONSULUM PRÆSIDI.

D. NICOLAO VAN BANCHEM,
JCto.

D. HENRICO VAN WILLIGEN,
JCto.

D. PETRO CUNÆO, JCto.

NEC NON

VIRO SPECTATISSIMO

D. PETRO GIJS, JCto,
CIVITATIS LUGDUNENSIS NUPER JUDICI; AMPLISSIMIS CURATORIBUS ET CONSULIBUS AB ACTIS.

Hanc Dissertationem Inauguralem,
L. M. Q. DICAT
TACO HAJO VANDEN HONERT.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
NECESSARIA,
AD
RECTE INTERPRETANDAM
Scripturam Sacram, Antiquitatum HEBRAICARUM *cognitione.*

Inter omnes, qui a ſacræ Scripturæ non prorſus alieni ſunt lectione, conſtare exiſtimo, Theologum in explicanda ſacra Scriptura feliciter verſari cupientem non leviter tinctum atque inſtructum eſſe debere ab omnibus illis diſciplinis ac artibus, quæ hominem ornant, eumque humanæ utilem præſtant ſocietati.

Scripti ſunt Veteris Teſtamenti commentarii, pauca eorum ſi excipiamus loca, quæ Chaldaice perſcripta ſunt, lingua Hebræa; Novi vero Fœderis libros omnes Græco exaratos habemus ſermone. Quodſi itaque

Theologus Deum in verbo ſuo ſine interprete velit conſulere de iis, quæ ad propriam non tantum ſpectant ſalutem; ſed quæ ob muneris rationem in commodum Eccleſiæ Chriſti conferre debet: oportet ſane, ut linguas, Hebræam, Chaldæam, ac Græcam adeo ſibi fecerit familiares, ut nuſquam hæreat, ſed omnibus in locis, modo debitam in timore Dei adhibeat attentionem, in venerandi Numinis penetret mentem.

De rebus, conſcientiæ ac naturæ lumine cognitis, quoties agit, agit vero de iis ſæpiſſime Scriptura, requiritur ſine ullo dubio Interpres, qui lumen illud conſulere aſſuetus inde promere novit, non tantum quæ ad Dei naturam, ejusque attributa, perfectiones ac virtutes; ut & quæ ad mutui illud juris, quod Deum inter ac homines intercedit, vinculum ſpectant: ſed ea quoque, quæ in rerum natura ſecundum conſuetas naturæ leges contingere ſolent, ut ab iis ea diſtinguat Dei opera, quæ, cum fixas nequiquam ſequantur naturæ leges, miracula dicuntur.

Mathematicus ſit oportet, qui chronologicas, in ſacra Scriptura ſubinde occurrentes, expediet difficultates: qui proportionem, quæ in exſtruendo tabernaculo ac templo, reliquisque ad certam menſuram

ram conficiendis rebus obſervari debuit; ſuis exponet auditoribus.

Contingit ſæpiſſime, ut Scriptura loquatur de variis, iiſque diverſiſſimis morbis; cum quibus conflictandum fuit iis, quorum in ea ſcribitur hiſtoria. Quo pacto quæſo in talibus ſe expediet Interpres, qui medicorum nunquam frequentavit ſcholas, in iiſque, quamvis ipſam his morbis medendi non attigerit artem; veram tamen ac diſtinctam illorum morborum rationem & naturam diſcernere atque explicare non didicit?

Univerſam Eccleſiæ œconomiam, cum illa optime compoſitam referat ſocietatem, in qua Deus ſummum gerit magiſtratum; utpote qui Principis inſtar eam per miniſtros ſuos, quibus ſingulis ſuum demandavit munus & provinciam, ſecundum certas moderatur leges, quis explicabit feliciter, qui reſpublicas ſecundum leges moderandi plane ignorat rationem?

Auguſtiſſimum illud ſalutaris doctrinæ de juſtificatione peccatoris coram Deo caput recte atque ordine explicari a nemine poteſt, niſi qui ex jure exploratum habet, quænam in foro ſint actoris & rei; quænam judicis & patroni partes. Deus enim Pater judicis ſuſtinet perſonam; Diabolus actoris implet partes, peccatorem quippe

 capi-

capitalis rei facit reum; Filius vero Dei agit tanquam Patronus peccatoris causam, eumque secundum leges defendit, quia pro eo ipse divinæ quam perfectissime satisfecit justitiæ.

Nihil frequentius est in Scriptura, quam quod Scriptores sacri ad varios variorum populorum, qui populo Dei finitimi ac vicini erant; vel inter quos populus Dei ad tempus versatus est, subinde alludant ritus & consuetudines. In omnibus ejusmodi locis frustra sine dubio laborat verum eruere sensum Interpres: cui perspecti non sunt illi, ad quos sacri Scriptores alludunt ritus: sive illi fuerint Ægyptiorum; sive Cananæorum; sive Syrorum; sive Assyriorum; sive Chaldæorum; sive Persarum; sive Græcorum; aut Romanorum.

Harum vero omnium cum Interpres sacræ Scripturæ exploratos debeat habere ritus gentium, facile, etiam me non monente, intelligitis Auditores, quod Theologus, qui feliciter in interpretanda vult versari Scriptura, nequaquam rudis debeat esse in ipsis populi Dei ritibus & consuetudinibus: sed quod eos omnes ita perspectos habere debeat, acsi ipse priscos inter judæos educatus, eorum ritus cum materno imbibisset lacte.

Hoc cum perpenderent Illustrissimi hujus Universitatis Curatores, Eorumque Collegæ, Amplissimi civitatis hujus Consules, rebus Academicis neutiquam indormientes, Hebraicas has publice hic docendas esse antiquitates censuerunt. Eamque à morte Celeberrimi Triglandii, Viri harum rerum peritissimi, vacuam, mihi, quæ honorifica Nobilissimorum Procerum de me est existimatio, mandarunt provinciam. Hanc vero ut rite atque ordine suscipiam, postulant Academicæ leges atque instituta, ut solenni sermone novi muneris faciam initium.

Deliberanti vero de Dissertationis argumento, nihil mihi aptius ac magis accommodatum obversabatur, quam ut paucis ostenderem, quam plane necessaria sit Theologis, qui in explicandis utriusque tam Veteris, quam Novi Fœderis libris recte atque ordine versari contendunt, rituum Judaicorum & Civilium & Ecclesiasticorum accurata cognitio.

A vobis vero, quotquot adestis cujuscunque Ordinis Honoratissimi Auditores peto, ut mihi breviter de hac necessitate differenti, exigui temporis ne denegetis attentionem.

Hiſtoricos Veteris non tantum, ſed Novi etiam Teſtamenti libros a nemine recte intelligi, nedum explicari poſſe, quin antiquos Judæorum ritus & conſuetudines perſpectas habeat, certum adeo eſt, ut pro indubitato id aſſumere liceat.

Solent enim ſacri Scriptores de iis, tantum non omnibus, qui ad Rempublicam, ut inde potiſſimum Diſſertationis meæ primordia capiam, ejusque moderationem ſpectant, agere tanquam de rebus populo, in cujus gratiam ſcribebant, ſatis cognitis atque exploratis. Unde ritus illos hiſtoriæ, quam contexuerunt, inſeruerunt quidem, ſed eos nuſquam fere ex inſtituto explicarunt.

Ubi vero hi ritus progreſſu temporis aliquam ſubierunt mutationem; aut quidam eorum in deſuetudinem prorſus abierunt, fieri non poteſt, quin Interpres, qui eorum ignarus eſt, omnibus iſtis in locis, in quibus ritus illi leviter adeo attinguntur, hæreat dubius, atque ſe nequeat expedire. Id quod nobis, qui Chriſtianorum ſacris innutriti ſumus, inprimis ejuſmodi in locis contingere debet; utpote apud quos illi, de quibus loquor, Judæorum ritus & conſuetudines in uſu fuerunt nunquam.

Quodſi ergo iſtis in Scripturæ ſacræ locis excutere nolimus, oportet, ut antiquos hoſce

hoſce atque antiquatos prorſus Judæorum ritus, prius ex ſcriptis eorum, qui illos, cum in deſuetudinem abire cœperunt; ut eos ab oblivione vindicarent, annotarunt, atque in omni ſuo repræſentarunt ambitu, eruamus, ac in clara collocemus luce.

Conſtat quippe inter omnes, ubi Ægyptiorum, exempli gratia, Græcorum, aut Romanorum noſſe conſuetudines ac ritus contendimus, eos nos facilius longe atque felicius ex ſcriptis eorum, qui tempore illo, quo ritus illi mutari, vel in deſuetudinem abire cœperunt, ſuos ſcripſerunt commentarios expiſcari poſſe, quam ex monumentis eorum, qui ipſo illo, quo hi viguerunt tempore ritus, gentis ſuæ ſcripſerunt hiſtoriam.

Sic ſcilicet præſtantiſſimi illi Scriptores curare voluerunt, ne illæ in deſuetudinem abeuntes conſuetudines ac mores veterum obliterarentur; ac veterum monumenta inde obſcuritatem induerent, ex qua poſterorum nemo ea in lucem revocare poſſet unquam.

Quis quæſo, ut exemplo res fiat magis perſpicua, in hiſtoria Evangelica, & Apoſtolica ita verſabitur, ut nuſquam hæreat, cui perſpecta atque explorata non ſit vera Synedrii Judæorum magni conſtitutio?

Quinam fuerint illi Principes ſacerdotum, qui ex ſacerdotali ordine huic interfuerunt conſeſſui, & cur ita dicti ſint. Quinam fuerint illi Scribæ, qui inter Synedrii hujus recenſentur aſſeſſores, & quæ vera ſit hujus denominationis ratio. Quinam denique fuerint illi Seniores populi, quorum paſſim fit mentio, ubi de ampliſſimo hoc agitur Synedrio, & quænam ſit ratio, cur hoc vocentur nomine?

Quo pacto ſe expediet interpres, qui ignorat, quænam Pontificis maximi fuerint partes in Synedrio: qui ignorat, quam ſuſtinuerit in Synedrio hoc magno atque in republica Judæorum provinciam exauctoratus ille Pontifex Annas, ad quem Dominus noſter primum ductus fuit ab iis, qui vinculis eum conſtrictum tenebant; & quænam ſit ratio, cur in deſignatione annorum juxta ordinarios iſtius temporis nominetur Magiſtratus?

Mutationem ſane, quam non uno ſubiit tempore Synedrium Judæorum magnum, noſſe debet, qui hiſtoricos ſacræ Scripturæ, quos vocant, libros aliis exponere contendit. Scire procul dubio debet, quando & qua occaſione jus gladii ampliſſimo huic ademtum ſit Synedrio; quando & quo caſu acciderit, ut extremis Reipublicæ temporibus non licuerit Synedrii hujus præſidi, ſum-

ſummum hunc Judæorum, inſcio atque inconſulto Provinciæ Procuratore, convocare Senatum.

Plura ſi deſideretis Auditores, ſine quorum accurata cognitione hiſtorici recte atque ordine explicari nequeant libri: perpendite quæſo, an non noſſe debeat Interpres, quis fuerit Præfectus templi, & quæ ejus muneris fuerit, & reſpectu templi, cujus erat Præfectus; & reſpectu Synedrii Judæorum magni ratio? Debet noſſe Interpres divortium illud ſententiarum, quod Judæos in tot hæreticorum, loquitur enim Scriptura de Phariſæis, Sadducæis, Herodianis, aliiſque, diviſit ac diremit ſectas. Debet noſſe differentiam, quæ Judæos inter & Proſelytos interceſſit, ut & quid Helleniſtas ab Hebræis diſtinxerit. Noſſe tandem, omnia enim quo minus recenſeamus, quæ cognitu neceſſaria ſunt, temporis, quo circumſcripti ſumus, prohibent auguſtiæ, debet Interpres internecinum illud, quod Judæos adeo a Samaritanis ſeparavit ac disjunxit, odium.

Ex his, niſi me omnia fallunt, ſatis liquet, fruſtra illum laborare in exponendis ſacræ Scripturæ libris hiſtoricis, qui a cognitione rituum & conſuetudinum, quæ apud antiquum Dei obtinuerunt populum; non ſatis bene inſtructus, ad eos acceſſerit.

Id vero ut nobis adhuc magis fiat perſpicuum, operæ pretium erit, ut tabernaculum contemplemur, quod Deus in deſerto exſtrui juſſit, ejuſque intueamur miniſterium, quod quotidie in eo non tantum peragi debuit, ſed quod pro varietate dierum feſtorum, aliarumque circumſtantiarum, quibus involvebantur vel ſacerdotes ipſi; vel univerſus populus Iſraeliticus, vel ſinguli hujus Θεοκρατίας, ut ſignificanter hanc vocavit rempublicam Joſephus, cives, variabat admodum. Ab harum omnium & ſingularum accurata qui imparatus eſt cognitione, quo pacto explicabit quatuor poſteriores Pentateuchi Moſaici libros, interque eos tertium inprimis, qui tantum non omnium, eccleſiaſticarum præcipue, legum codex eſt? Qui penetrabit Interpres, qui harum rerum ignarus eſt, in verum egregiæ illius ad Hebræos Epiſtolæ, quæ Paulo attribui ſolet Apoſtolo, ſenſum? Cum ſcriptor ejus Spiritu Dei plenus harum tantum non omnium myſticum in ea tradat ſenſum, qui demonſtrari neutiquam poteſt, niſi grammaticus & litteralis horum rituum prius probe ſit perſpectus ſenſus. Nititur enim myſticus ille ſenſus accuratiſſima illa, quæ inter ritus illos antiquos, & res ſpirituales,

les, quas præfigurarunt, intercedit convenientia.

Moſes fateor, uberiore longe ſermone expoſuit nobis tabernaculi ſtructuram, ejuſque miniſterium, quam totius mundi originem & creationem. Breviores longe duxit lineas Moſes, ubi Patriacharum antediluvianorum, & poſt-diluvianorum ſcripſit hiſtoriam, quam ubi agit de tabernaculo, ſecundum typum a Deo ipſo ei in monte exhibitum, exſtruendo, omnemque auguſtiſſimi iſtius tabernaculi exponit apparatum.

In hiſtoria ſcilicet creationis mundi, ut & eorum, quæ de Patriarcharum ſatis Poſteritatis ſciri intererat, ea Spiritus ſancti inſtinctu conſignavit, quæ apud Iſraelem per Patriarchalem ſatis cognita atque perſpecta erant traditionem.

Acceperat quippe hæc Lamechus, Noachi pater, a primo omnium noſtrum, quo cum per quinquaginta ſex annos vixit, patre Adamo. Lamechus cum Semo, nepote ſuo, commercium per nonaginta habuit annos, qui procul dubio, Semo, nepoti ſuo, expoſuit omnia, & quæ hauſerat ab Adamo, & quæ ſeptingentorum ſeptuaginta annorum ſpatio expertus erat ipſe. Semus in omnibus illis, quæ a condito inde mundo ad diluvium uſque contige-

 rant,

rant, tam bene inſtructus, quinquageſimum Iſaaci attigit annum. Dubitare nos non ſinit Semi Patriarchæ pietas, quin omnia illa, quæ ab avo ſuo, Lamecho, tanquam per manus tradita, acceperat, & quæ ipſe & ante & poſt diluvium viderat obſervaveratque, cum poſteritate ſua per tantum temporis, ac vita ſua eſt emenſus, intervallum, communicaverit quam fideliſſime. Iſaaci vitam extendit Deus ad triceſimum Rubenis, & duodecimum Benjaminis, qui Patriarchæ Jacobi natu fuit minimus, annum. Moſes, qui juſſu Dei, moderante eum Spiritu ſancto, omnia hæc, quæ ita per Patriarchas ad ipſius & ejus æqualium ætatem uſque tradita erant, litteris conſignavit, commentarioſque ſuos populo tradidit Iſraëlitico, fuit Levi ex filia nepos.

Hac itaque in hiſtoria cum narraret Moſes ea, quæ ejus æquales, qui omnes vel nepotes, vel pronepotes duodecim erant Patriarcharum, ſatis noverant tradita ab Adamo fuiſſe Lamecho; ab Lamecho communicata cum Semo; a Semo propagata ad Iſaacum; ab Iſaaco duodecim Patriarchis, Jacobi filiis, expoſita fuiſſe, intelligere vos opinor Auditores, nihil horum longam deſideraſſe orationem. Moſis enim æquales omnia hæc æque ac Moſes

Moſes ipſe per manus tradita a patriarchis, avis aut proavis acceperant ſuis.

Verum ubi Tabernaculum, ejuſque Miniſterium deſcribendum fuit, neceſſarium erat, ut Moſes omnia & ſingula, vel ad minimas eorum minutias uſque, exponeret quam accuratiſſime. Nova enim hæc, atque Patribus eorum a condito mundo ad hanc Iſraelitarum uſque ætatem inaudita prorſus erant omnia, quæ Moſes jubebatur conficere, atque inſtituere.

Qui quæſo potuiſſent Bazaleel, & Aholiab hæc omnia conficere ſecundum typum, qui Moſi in monte ab ipſo exhibitus erat Deo, niſi Moſes typum illum quam accuratiſſime deſcriptum iis tradidiſſet? Qui potuiſſent Pontifex, & gregarii Sacerdotes in ſacerdotali munere ſe ad Dei componere voluntatem, niſi Moſes veram iſtius miniſterii rationem, omneſque ejus partes quam diligentiſſime expoſuiſſet? Qui potuiſſent Sacerdotes in tanta ſacrificiorum & rituum varietate, ac dies feſti, & circumſtantiæ, quibus ſæpe ſubito involvebantur, vel ſacerdotes ipſi, vel populus univerſus, vel Magiſtratus, vel cives ſinguli, tam diſtincte obſervandum requirebant, omnia recte atque ordine expedire, niſi omnem illam rituum, & ſacrificiorum quam accuratiſſime definitam habuiſſent diſtinctionem

&

& varietatem? Nam vel in minima hic aberraſſe circumſtantia cum præſentiſſimæ mortis erat conjunctum periculo.

Omnia hæc cum luculenter adeo ac diſtincte tradiderit Moſes ipſe, facilius longe, fateor, ex ejus Commentariis ac feliciùs veram horum omnium erui ac repræſentari poſſe rationem, quam ex jejunis ac tenebricoſis plane, quas de iis inſtituerunt Judæorum Magiſtri, diſceptationibus. Hæc vero quamvis dilucide ſatis a Moſe ipſo expoſita videantur, habent tamen, quæ non facile expediet Interpres, qui exploratas non habet, quæ Karræos & Rabbinos inter agitantur, controverſias. Rabbini, inter quos primus, teſte Joſepho Scaligero, hugari deſiit Maimonides, traditionibus Patrum ita inhærent, ut ad Moſaicorum verborum non ſatis attendant contextum; unde ex iis ſæpe ſenſum extorquent, qui a mente Moſis eſt alieniſſimus. Karraitæ vero, (quos ſplendidiſſimum illud Academiæ noſtræ olim ornamentum, Petrus Cunæus, *factionem cordatiorem* dixit, utpote „ qui ſpretis hominum placitis, „ Talmudica præcepta pro nugamentis „ habent; & nihil admittunt, niſi ſacri „ codicis contextum) ſuam ex ipſis ſacræ Scripturæ ac legis Moſaicæ verbis & locutionibus eruere ſolent ſententiam.

Norunt harum rerum periti, Rabbinos & Karræos neutiquam convenire de vera iſtius temporis, quod Scriptura vocat, *inter duas Veſperas*; & cui admodum multa in lege alligata fuerunt, definitione. Diſſentiunt Karræi & Rabbanitæ de vero Novilunii puncto, a quo plurimorum dierum feſtorum definitum dependebat tempus. Quemadmodum id de Paſchate, de Azymorum, de Expiationis, & Tabernaculorum diebus certum eſt. Controverſantur inter ſe Rabbanitæ & Karræi de die Primitiarum, quo manipulus primitiarum coram DOMINO debuit agitari: Num ſcilicet dies ille cohæſerit cum diebus Azymorum, eorumque quotannis ſecundus fuerit dies: an vero dies ille ab Azymorum diebus prorſus fuerit diſtinctus & ſeparatus, adeo ut ſemper hebdomadis iſtius, in quam, prout frumenta citius vel tardius matureſcebant, incidebat, primus fuerit dies. A qua deciſione vera diei, quo Pentecoſte ſecundum legem celebrari debuit, pendebat definitio.

Hæc & longe plura ſi quis apud animum perpendat ſuum, facile perſpiciet, Interpretem, qui verum a falſo; certum ab eo, quod incertum ac dubium eſt, ſeparare ac diſcernere debet, ſe hic expedire non poſſe, niſi rationum atque argumentorum, quibus adducti

in alia hic eant omnia Karræi & Rabbini, expenderit momenta.

Intelligitis, opinor, Auditores Humaniſſimi, libros ſacræ Scripturæ, quos Hiſtoricos vocant, ut & Moſis Pentateuchum recte atque ordine explicari non poſſe, niſi ab eo, qui accurata Judaicorum rituum cognitione bene imbutus atque inſtructus eſt. Reſtat, ut expendamus, num cognitio illorum conferre etiam aliquid queat ad illuſtrandum Prophetarum commentarios, ut & eos ſacræ Scripturæ, quos ἁγιογεγράφους vocare ſolent, libros.

Neminem veſtrum in ſcriptis Prophetarum aliorumque Dei Virorum adeo hoſpitem confido, ut ignoret, ſanctos Dei viros ad talia paſſim alludere, quæ non niſi ex antiquis Judæorum illuſtrari, atque explicari poſſunt monumentis. De Chriſto Domino noſtro dicitur, quod *nos dilexerit, & ſe pro nobis tradiderit Deo in* MUNUS & SACRIFICIUM *bonæ fragrantiæ.* Qui neſcit, quæ inter *munus* olim & *ſacrificium* interceſſit, differentiam, feliciter neutiquam exponet, quo pacto Chriſtus ſe tradiderit Deo *in munus;* quo pacto ſe tradiderit Deo *in ſacrificium.* Nititur enim hæc Pauli Apoſtoli aſſertio typica illa ratione, quam *munera* & *ſacrificia*, quæ ſecundum legem offerri ſolebant, habuerunt.

Quare

Quare Chriſtus ita loquens inducitur: „ *Sacrificium & munus* noluiſti: *corpus*, vero, typicorum horum videlicet ſacrificorum, „ adaptaſti mihi: *holocautomata*, & *ſacrificium pro peccato* non approbaſti. Tunc „ dixi, ecce adſum (in capite libri ſcriptum eſt de me) ut *faciam*, Deus, *voluntatem tuam.* Cum ſuperius dixiſſet, (ita argumentatur feliciſſimus horum myſteriorum Interpres, Paulus) „ *Sacrificium* „ & *munus* & *holocautomata* & *ſacrificium* „ *pro peccato* noluiſti, neque approbaſti (quæ ſecundum legem offeruntur) „ tunc „ dixit: ecce adſum, ut *faciam*, Deus, „ *voluntatem tuam.* Aufert *prius*, ut „ *poſterius* ſtatuat. *Qua voluntate* ſanctificati ſumus *per oblationem* CORPO- „ RIS *Jeſu Chriſti, ſemel factam.* Omnis „ quippe Pontifex conſtituebatur olim, ut „ offerret *munera* & *ſacrificia*: quare ne- „ ceſſe fuit, ut Chriſtus, cujus typum olim geſſit Leviticus Pontifex, „ haberet quoque, quod Deo *in munus*, & quod Deo *in ſacrificium* „ offerret.

Congregari juſſit Deus ſtudioſos ſui, *qui fœdus cum eo pangebant* SUPER SACRIFICIO. Quid Deus hoc in mandato per *fœdus ſuper ſacrificio* ſignificaverit percipiet nemo, cui perſpectum non eſt, quo pacto Populus Iſraeliticus primitus in deſer-

to,

to, *fœdere*, *quod nitebatur sacrificio*, Deo sit junctus, atque in populum, cujus Rex erat Deus ipse, coaluerit: quo pacto progressu temporis Proselyti, quotquot gentilissimo ejurato, Judaico inseri desiderabant populo, inter alias Ceremonias *fœdus cum Deo*, certo confirmare debuerint *sacrificio*.

Spiritualis ille cultus, qui in Ecclesia, ad gentes, postquam Deus divortium cum Judæis fecisset, propaganda, obtineret, iis passim in sacra Scriptura repræsentatur, atque exprimitur verbis, quæ mutua sumta sunt ab illo, qui inter Judæos secundum legem vigebat, cultu. „ Ab ortu so-
„ lis, inquit Deus, ad occasum ejus ma-
„ gnum erit nomen meum in gentibus:
„ & in omni loco *suffimentum* afferetur no-
„ mini meo, & *munus purum*, quia magnum
„ erit nomen meum in gentibus. Manifestam hic videtis Auditores allusionem ad *suffitum*, qui adoleri olim; & ad *munus* quod secundum legem offerri debuit.

Non solus est Malachias, apud quem Deus spiritualem illum, de quo nunc ago, cultum repræsentans, ad Leviticum alludit cultum: sed Paulus quoque de rationali illo, quem Deo debent, qui ab Unctione Domini nostri Jesu Christi, cujus participes facti sunt, Christiani dicuntur, differens cultu, ad *sacrificia*, quæ secundum legem offerri solebant,

bant, manifeste adeo alludit, ut de eo dubitare non possimus. „ Adhortor vos, inquit, „ fratres, per miserationes Dei, ut
„ sistatis corpora vestra *sacrificium vivum*, *sanctum*, *ac placens Deo*. Hebræis, qui inter Christianos suum professi sunt nomen, dixit: „ Habemus *altare*, ex quo non
„ habent jus edendi, qui *tabernaculo* de-
„ serviunt. Quorum enim *animalium san-*
„ *guis infertur pro peccato in sacrarium per*
„ *Pontificem*, *eorum corpora igne absumun-*
„ *tur extra castra*. Quapropter & Jesus,
„ ut populum per proprium sanctificaret
„ sanguinem, extra portam passus est.
„ Exeamus igitur ad eum extra castra,
„ probrum ejus portantes. Non enim hic
„ habemus stabilem civitatem, sed futuram
„ illam quærimus. Per ipsum igitur assidue
„ *offeramus Deo sacrificium laudis*, id est,
„ fructum labiorum, celebrantium nomen
„ ejus. Beneficentiæ vero & communica-
„ tionis ne obliviscimini: talibus enim *sa-*
„ *crificiis* delectatur Deus.

Non tantum ea, Auditores, quæ Christus ad populum suum ab interitu vindicandum, peregit; & cultus, quem Populus Deo devotus præstare debet, exprimuntur verbis, quæ mutua sumsit Spiritus sanctus ab antiquis Judæorum ritibus: sed

ipſa quoque efficax illa Dei vocatio, qua homines ſecundum electionem gratiæ ex poteſtate tenebrarum eruit, atque in cœleſtem recipit civitatem, apud Ezechielem iis repræſentatur verbis, quæ *a pecorum decimatione* petita ſunt. *Tranſire vos faciam*, inquit Deus, *ſub virgam; & adducam vos per fœderis vinculum*, manifeſta ad *decimationem* alluſione. *Decimæ* quippe boum & ovium dicebantur *tranſire ſub virgam*, qua ſcilicet notabantur, ut ex *rubro*, quo allinebantur, *ſigno* cognoſcerentur tanquam quæ Domino ſacræ erant. Sic ſcilicet omnes, qui ſecundum electionem gratiæ vocati ſunt, certo aliquo ſigno a reliquis diſtinguuntur hominibus: unde Deus novit, qui ſui ſunt. Adſperſi quippe ſunt omnes & tincti *ſanguine Chriſti*, qui eos expurgat ab omni peccato. Hæc vero, quæ ſecundum electionem gratiæ fit, cum irrevocabilis ſit vocatio, cujus Deum nunquam pœnitet, quemadmodum *decimatum* pecus cum alio commutare non licebat, ſed Deo manebat ſacrum: certiſſimam inde ac neutiquam vacillantem in ea repoſitam habent fiduciam quotquot *ſanguine* Chriſti expurgati ſunt. Quam fiduciam Eccleſia apud Pſaltem manifeſtam fecit aperta itidem alluſione ad *virgam illam*, qua *decimatio* peragi

agi ſolebat, ubi dicit: „ Etiam, quando ambulaturus ſum per vallem umbræ „ mortis, non timebo malum, nam tu, „ Jehova! qui es Paſtor meus, apud me „ es, *virga tua* & Pedum tuum me conſolabuntur. Efficax illa tua, qua me ſecundum electionem gratiæ quaſi *decimaſti*, ac tibi aſſeruiſti, vocatio in tenebricoſiſſima illa me ſuſtentabit valle, atque adverſus omne confirmabit malum.

Noſtrum omnium ad communionem Domini noſtri, Jeſu Chriſti, aggregatio, qua in unum cum Eo compingimur, & coaleſcimus corpus, iis deſcribitur verbis, quæ a Salomonei repetita ſunt templi exſtructione. „ *Super ſtructi*, inquit Paulus, *ſuper fundamentum* Apoſtolorum ac Prophetarum, exiſtente *imo angulari lapide*, ipſo Jeſu Chriſto. „ In quo *totum ædificium* congruenter coagmentatum, creſcit, ut ſit *templum ſanctum Domino*. In quo & vos una *ædificamini*, ut ſitis *domicilium Dei per Spiritum*. Et Petrus: „ Ad quem accedentes, qui eſt *lapis vivus*, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum „ vero electus ac pretioſus, ipſi quoque, „ veluti *vivi lapides ædificati*, fiatis *domus ſpiritualis*, ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpiritualia ſacrificia accepta Deo „ per Jeſum Chriſtum. Quapropter etiam

 „ con-

„ continetur in Scriptura : Ecce ſtatuo in
„ Zione *lapidem* in imo angulo, electum,
„ pretioſum : in quem qui credit, nequa-
„ quam pudeficet.

Ad tabernacula, in quibus Iſraelis olim in deſerto inhabitari ſolebat ſoboles, alludit Eſajas ubi de propagatione Eccleſiæ ad gentes agit : „ Dilata, ait, locum *ten-*
„ *torii* tui, & *aulæa habitaculorum* tuo-
„ rum extendantur, ne cohibeto : pro-
„ longa *funes tuos*, & *paxillos tuos* infige
„ alte : nam dextrorſum & ſiniſtrorſum e-
„ rumpes, & ſemen tuum gentes hæredi-
„ tario poſſidebit jure, ac civitates deſo-
„ latas efficient habitabiles.

Glorioſam denique conſummationem, qua mortalitatem exuentes perenni ac nunquam interrumpenda apud Deum permulcebimur lætitia, repræſentat itidem Paulus vocabulis & locutionibus, quæ de *taberculorum* atque *ædium* antiquitus ſolebant uſurpari *permutatione*. „ Scimus nos, inquit, ubi
„ terreſtris hæc noſtra *tabernaculi domus*
„ *diſſoluta* fuerit, habituros nos *ædificium*
„ ex Deo, *domum* videlicet non manu fa-
„ ctam, æternam in cœlo. In hac enim
„ *hujus tabernaculi domo* ſuſpiramus, ex-
„ petentes *domicilio* noſtro, quod e cœlo
„ eſt, ſuperindui. Siquidem etiam in-
„ du-

„ duti, non nudi reperiemur. Etenim
„ qui in hoc ſumus *tabernaculo* ingemiſci-
„ mus gravati, quia nolumus exui, ſed
„ ſuperindui, ut id quod eſt mortale a vita
„ abſorbeatur.

Videtis Auditores, *pretium*, quo Chriſtus nos ſibi vindicavit; *fidem*, qua fœdus cum Deo pangimus; *cultum*, quem Deo ex pacis fœdere debemus; *vocationem*, qua nos ex tenebrarum eruit poteſtate Deus; *fiduciam*, quam in ea Dei repoſitam habemus vocatione; noſtrum ad Eccleſiam *aggregationem*; Eccleſiæ *propagationem* ad gentes; noſtrum denique omnium *gloriſicationem* in cœlo, in ſacra paſſim exprimi Scriptura verbis & locutionibus, quæ *mutua ſumta* ſunt *ab antiquiſſimis Judaicæ gentis ritibus, & conſuetudinibus*. Ex quibus, niſi me omnia fallunt, nihil aliud confici poteſt, niſi horum rituum cognitionem non minus neceſſariam ad reliquorum ſacræ Scripturæ librorum eſſe interpretationem, quam eam ad explicandum Moſis pentateuchum, ut & eos, qui hiſtorici dicuntur, libros, neceſſariam demonſtravimus.

Intelligitis, opinor, quam ſe latus Diſſertationi meæ oſtendat campus, ſi omnia, quæ ſacra ſuppeditat Scriptura, perſequi, & in ſingulis inſiſtere, atque immorari vel-

lem: ſed ne veſtra abutar Auditores humaniſſimi patientia, filum Diſſertationis abrumpam. Ex dictis enim ſatis liquere exiſtimo, id quod mihi demonſtrandum propoſui. Theologum videlicet, niſi ab antiquitatum Hebraicarum probe ſit inſtructus cognitione in interpretanda ſacra Scriptura feliciter verſari non poſſe.

Hanc vero cum mihi mandandam cenſueritis Illuſtriſſimi Academiæ Moderatores Provinciam, non poſſum, quin gratum vobis publice teſter animum. Ita voluiſtis novo hoc munere honorificam veſtram de me pateſacere exiſtimationem: ita voluiſtis novo hoc me vobis, & Academiæ magis obſtringuere beneficio. Polliceor, nam quod rependam præterea habeo nihil, me vobis meam novo hoc in munere non minus probaturum diligentiam, quam in theologicis feci inſtitutionibus. Deus ſervet vos, Viri Illuſtriſſimi, diu ſoſpites atque incolumes Reipublicæ, & Academiæ: faciat Deus poſteritati veſtræ eos, quibus aucti eſtis, honores hæreditarios: recipiatque vos tandem, dierum ſaturos, Deus ad thronum ſuum, ubi Majeſtatis decora, quibus nunc ornati eſtis, cum ſempiterna, ac nun-

nunquam interrumpenda commutabitis gloria.

Ad vos me tandem converto Egregiæ indolis juvenes. Plurimi veſtrum, publicum enim hoc vobis debeo teſtimonium, veſtram mihi in exercitiis theologicis ſatis probaſtis, & adhucdum probatis diligentiam. Quemadmodum me in Theologicis, ab aliquot annis habuiſtis, & quamdiu Deus vires largiturus eſt, habituri eſtis ducem: ſic me nunc, quæ prolixa Illuſtriſſimorum Academiæ Procerum erga me, & erga vos eſt voluntas, habebitis quoque ducem in eruendis atque explicandis antiquiſſimi, atque Deo olim accepti populi antiquitatibus. Veſtrum erit, ſi novum hoc meum in fructum aliquem veſtrum redundaturum ſit munus, non minus avide excipere, quæ de his traditurus ſum antiquitatibus, quam me in Theologicis audire ſoletis inſtitutionibus. Non morabor vos nugaciſſimis atque ineptiſſimis Rabbinorum de Rebus nullius momenti, quibus facile illud *Caſſianum* objici poſſit, *cui bono*, diſceptationibus: ſed ita his in antiquitatibus verſabor, ut ea quæ vobis præcipue ad ſacram recte explicandam Scripturam obſervanda exiſtimem,


mem, exponam, atque in clara, quantum id fieri poteſt, collocem luce. Hæc ſi cum reliquis, quæ ad ſacram feliciter interpretandam Scripturam requiruntur, conjungatis ſubſidiis, certiſſimam foveo ſpem, fore, ut, divino adſpirante Numine, felices evadatis Sacræ Scripturæ Interpretes.


D I X I.



E R R A T A.

Pag.	LEGITUR	LEGATUR.
86	——	Pa-
89	ur	tur
91	humerum	humorum
174	coll. cap.	coll. cum cap.
233	Quintilianum	Quintilianeum
281	Qnam	Cui


ECARTI
ISSERTATIO
ISTORICA
Theol. rec.
III
Oct. 687.



HOMERI

DISSERTATIO

HISTORICA

Theol. rec.
III
Oct. 687.



